
IOSEPHI MARIANI PARTHENII E SOCIETATE IESU COMMENTARII ET ELLOGIA

Giuseppe Maria Mazzolari





NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
254
2 C
40
ROMA



IOSEPHI

MARIANI PARTHENII

[illegible]

[illegible]



ROMAE

[illegible]

MDCCCLV


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
254
2 C
40


IOSEPHI

MARIANI PARTHENII

E SOCIETATE IESV

COMMENTARII ET ELLOGIA







ROMAE

TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE

1885

IOSEPHVS BOERO

E SOCIETATE IESV

LECTORI BENEVOLO





Iamdiu cogitabam latina quaedam clarissimorum virorum opuscula evulgare, ut praesertim studiosae iuventuti consulerem, quae in collegiorum nostrorum scholis ad bonas artes et ad christianam pietatem informatur : sed aliis atque aliis occupationibus iugiter distentus consilium meum exsequi ante non potui. Nuper vero cum me et amicorum sermo et doctorum hominum auctoritas ad hoc opus invitaret, feci non modo non invitus verum etiam lubens pro meo erga latinas litteras amore, ut huiusmodi opusculorum collectionem inchoarem, quae non mediocri, ut spero, emolumento esse poterit iis omnibus, qui politiorum litterarum studiis dant operam, quique latinam linguam nostra hac aetate pene intermortuam excitandam atque in pristi-

nam dignitatem et elegantiam revocandam putant. Iacent profecto latinae litterae, ac prope despectui habentur: quanto autem cum studiorum detrimento, nemo non videt. Atqui huic tam gravi malo nullum opportunius ac praestantius remedium afferri potest, quam si proferantur in lucem et legenda adolescentibus tradantur eorum scripta, qui dicendi copia et elegantia cum soluta tum ligata oratione prae caeteris floruerunt, quique veterum probatissimorum auctorum gloriam et laudem communi existimatione consecuti sunt. Huiusmodi autem esse Horatium Tursellinum, Iosephum Marianum Parthenium, Iulium Caesarem Cordaram, Stephanum Antonium Morcellium, Raymundum Cunichium, aliosque similis notae viros, quorum opuscula vel primum vel iterum typis edenda constitui, facile quisque opinabitur, qui in re litteraria plane rudis non sit. Ita fiet ut adolescentes optima habeant prae manibus exemplaria, quae imitentur, et quibus ad latinam linguam impensius excolendam inflammentur. Quod si id assequi nequivero, illud saltem efficiam, ut mea hac qualicumque industria meoque labore ad idem opus urgendum studia excitem aliorum.

Iamvero placuit ordiri a Iosepho Mariano Parthenio nitidissimae latinitatis auctore, cuius latina scripta quae tribus voluminibus comprehensa in publicam hominum lucem utilitatemque iam prodierunt, et notissima sunt et in pretio habentur. Alia non pauca aeque perfecta et perpolita, morte interceptus reliquit, quae e

tenebris in quibus adhuc delitescunt eruenda esse duxi. Itaque primum hoc nostrae collectionis volumen in tres veluti partes erit distinctum; quarum prima continebit commentarios de vita et sancta conversatione septem venerabilium patrum e societate Iesu; altera ellogium Ioannis Mariani fratris; tertia denique brevissima quaedam elogia illustrium e S. I. italorum, qui saeculo MDCC sanctitatis opinione floruerunt et decesserunt. Quod si haec ut spero probabuntur, opportuniori tempore evulgabo vel sex integros libros epistolarum, vel ex iis omnibus selectas et exceptas, quot ad iustam voluminis molem conficiendam satis esse possint. Haec habui de editione: nunc pauca de auctoris vita.

Iosephus Maria Mazzolarius, qui pro sua in Virginem Deiparam singulari pietate Iosephus Marianus Parthenius voluit appellari, natus est Pisauri V idus iulii an. MDCCXII, parentibus nobilitate et virtute clarissimis. Pueritiam summa morum innocentia domi transegit, Caeciliae Somentiae matris pientissimae, cuius postea vitam ipse conscripsit, exemplis et hortationibus incitatus. Vix septennis Cremonam, unde Mazzolariorum familia originem ducit, cum Ioanne Mariano fratre missus est, educandus sub optima Andreae patrui viri probi ac sancti disciplina. Ea in urbe grammaticae primum, humanioribus deinde litteris, tum philosophiae in gymnasio societatis Iesu operam dedit. Emenso philosophiae curriculo, annos natus decem et octo Pisaurum remigravit, et in paterna domo paucos menses con-

sedit. Inde digressus ineundae societatis causa Romam venit, et IX kalend. februar. an. MDCCXXXIII voti compos factus, ad s. Andreae tyrocinium de more posuit; eoque absoluto, recolendis humanioribus litteris aliquot menses impendit, deinde informandis pietate ac bonis artibus adolescentibus praeceptor est destinatus. Munus hoc quinque extraxit annos: primum Florentiae annos duos grammaticam, deinde humanitatem, quam vocant, annum unum; tum Firmi in piceno rhetoricam, et Romae in collegio gregoriano iterum humanitatem annos duos docuit. Confectis theologiae studiis sacerdos est initiatus, et emissa stato tempore solemni quatuor votorum professione, transactisque omnibus pro recepta consuetudine, in collegio florentino rhetoricae tradendae praeficitur, quo in munere sex annos perstitit magno discipulorum emolumento, et summa eruditorum hominum laude. Inde Romam evocatus anno MDCCLI eamdem docendi provinciam, eademque optimi praeceptoris fama et commendatione sustinuit ad annum MDCCLXV, quo in p. Contuccii demortui locum suffectus, praefecturam scholarum inferiorum pari animi alacritate regendam suscepit, in eaque perseveravit usque ad occasum societatis. Haec autem calamitas eius animum gravissime perculit; at Dei bonitate subnixus, adversa omnia incredibili patientia tulit. Digressus e collegio, neglectis potentiorum qui eum expetebant domibus, usus est hospitio Clementis Orlandii architecti, viri mediocris fortunae, sed eximiae pietatis. Quam

vero vitae rationem ibi instituerit Parthenius, habemus ex eius epistola ad fratrem, cuius verba heic referam. « Vivo ego mihi, et vel domesticorum, ipsis non abnuentibus nec sequiorem in partem interpretantibus, consortium fugio et colloquia vito. Nemo me fere extra cubiculum videt, praeter mensae accubationem et communem in sacrarium congressum. Cubiculo meo clausus aut scribo, aut lego, aut dicto. Si accuratiorem vitae meae descriptionem nosse vis, haec est. Mane surgo, oro, sacrum facio; peracto sacro et gratiis de more actis, cubiculum repeto, consueta me potione recreo; deinde vel ut dixi scribo, vel dicto, utraque usus lingua, sed multo libentius latina. Ante prandium breviores horae canonicae et nobis indicta conscientiae discussio. A prandio, si caeli tempestas patitur, domo ad sacras basilicas prodeo, secus domi me contineo. Nocturnas horas, quas prolixiores molestioresque experior, orando legendove, ut possum, extraho. Generatim atque universe eam mihi constitui legem, quae me intra instituti mei fines coerceat, nec eos facile transilire patiatur. » Haec ille. Vita functo Orlandio, Parthenius in aliud hospitium divertit, donec anno MDCCLXXXI, devexa iam aetate se recepit in domum professam, in qua non pauci e veteribus sodalibus habita a Pontifice facultate, communem vitae rationem inierant. Paullo post hydrope tentari coepit, qui diu multumque serpens, tandem pectus obsedit, et hominem ad extrema deduxit. Quare divino refectus viatico et sacro oleo inun-

ctus, vir religiosissimus aeternae beatitatis portum quem unice concupierat spectans, placido exitu migravit e vita postridie id. septembris, anno reparatae salutis MDCCLXXXVI et aetatis suae LXXIV. Corpus in templo farnesiano tumulatum; cor autem, uti vivens mandaverat, in aedem B. Virginis Mariae, quam vocant de Mentorilla, in dioecesi tiburtina illatum est. Fuit vir graecis latinisque litteris excultus, praestans philosophus, poeta elegans, disertissimus orator. De eximiis eius virtutibus, de singulari pietate, qua in Deum ac Deiparam ferebatur, malo silere, quam pauca et per summa capita attingere. Non deerit fortasse suo tempore qui tanti viri memoriam copiosa narratione illustratam posteritati commendabit.

IOSEPHVS . MARIANVS . PARTHENIVS

SVA . OMNIA . VOLVMINA

TIBI . DEIPARA . VIRGO . MARIA

INSCRIBIT

QVIDQVID . RECTE . SCRIPTVM

DIVINAE . SAPIENTIAE . MATRI . TRIBVIT

QVIDQVID . MINVS . RECTE . ET . PERPERAM

SIBI VNI . ATQVE . IGNORANTIAE . SVAE . ATTRIBVIT

DE VITA

ET SANCTA CONVERSATIONE

SEPTEM VENERABILIVM PATRVM

E SOCIETATE IESV

I.

P. PAVLVS SEGNERVS SENIOR

I. P. Paulus Segnerus cuius vitam paucis describere aggredior, merito inter eos recensendus est, qui alterum a societate condita saeculum doctrina et sanctitate illustrarunt. Nam et doctrina fuit tanta, ut summus theologus et disertissimus orator habitus fuerit; sanctitate vero adeo insigni, ut sociis tamquam perfectum virtutum omnium exemplar proponi ad imitandum possit.

II. Natus est Antii, quod oppidum est longe vetustissimum ad mare tyrrhenum, anno ab ortu Christi MDCXXIV die XXI martii. Parentes habuit et pietate et nobilitate praestantes, Franciscum Segnerum et Victoriam Blancam, quae viro suo decem et octo liberos peperit. Horum primus Paulus

dedit. In theologia audivit p. Sfortiam Pallavicinum, qui postea ob insignia in christianam rempublicam merita cardinalis est renuntiatus. Et Sfortiae quidem apprime carus fuit, tum propter excellens ingenium, tum propter insignem probitatem. Medium, quod fuit aliquot annorum inter eas quas diximus facultates spatium, in tradendis hnmaniorihus litteris occupavit. In his antem occupationihus, quae persaepe animum a divinis rehns avocare solent, nihilosecius perfectionis cursum quem ab ipso tyrocinio currere institnerat, nrgere institit. Nam tanta fuit morum innocentia, quanta vix dici potest. Exstat eins rei viri gravissimi testimonium, qni eo familiarissime usus est, nnaque fuit ab inito tyrocinio ad absolntum theologiae curriculum. Is affirmare non dnbitavit, se in Paulo Segnero, ut in eius acta ac dicta omnia animum curiosius intendisset, se, inquam, nihil, qnod notari iure posset, unquam deprehendisse: multa vero in eodem esse se admiratnm, qnihns vehementer ad perfectionis studium incitaretur. Non est hoc loco praetermittendum, quod in eius nomen lusit p. Sfortia Pallavicinus, qui ex eins nomine ac cognomine, videlicet *Paulus Segnerus*, immutato litterarum ordine, hanc sententiam elicuit: *Purus Angelus es*. Hoc ideo minime omittendum duxi, quia et ad declarandam singularem Segneri innocentiam, et summam Pallavicinii de eo opinionem non minimnm valet.

IV. Confectis igitur tanta innocentia stndiis, decursisque cum laude eximiae ac singularis doctrinae graviorum disciplinarum spatiis, qua erat animi demissione a praesidibus petiit, ut eins opera in infima grammatica tradenda adhiberetur. Satisfactum demissae petitioni a Superiorihns fuit, docuitqne grammaticam Pistorii Etruriae urbe, quam in ur-

bem et maiorem sacramentorum frequentiam invexit, et alia multa pietatis opera instituit quae adhuc vigent. Sed ad maiora vocatns a Deo, hoc ipso tempore conciones illas suas longe celeberrimas et eloquentissimas elucubrare aggressns, tantum contentionis hoc in opere adhibnit, ut ex assiduo hnmorum a cerebro defluxu gravissimum surditatis incommodum contraxerit; quod quidem adeo moderate tulit, ut hoc potissimum nomine Deo gratias egerit, illud Davidis nsurpans *Psal.* 37 *Sagittae tuae infixae sunt mihi; confirmasti super me manum tuam:* Deumque praeterea obsecravit, ut quas semel aurihus suis infixerat, ne toto vitae suae tempore sagittas inde divelleret. Perductis ad exitum concionibus, statim eas in celehriorihus Italiae urbihus habere ad populum coepit eo snccessu, qui expectandus erat ah homine et sanctissimo et eloquentissimo. Quamquam multo maiorem ex sacris missionibus, in quibns fere totam contrivit aetatem, fructnm cepit, quam ex concionibus quae quadragesimalihus tantum feriis haberi solent. Sacrae igitur missiones campus illi extiterunt longe patentissimus atqne uherrimus, in quo et dilatavit spatia caritatis, et immensos animarum manipulos collegit.

V. Perusii cum esset, eaque in nrbe conciones diehus festis haberet, nactus id temporis quod ei feriae autumnales a concionandi munere vacuum fecerunt, in exercitia spiritualia secessit, seque totum sacris commentationibus dedidit. In his tanta rernm divinarum luce perfusus est, quanta nunqnam antea. Omnia terrena illi vilescere, ad caelestia tantum anhelare, animarum Christo lucrandarum studio mirum in modnm incendi atque ad divinnm amorem voce quodammodo e caelo emissa invitari. In commentanda aeternitate adeo terrore concussus fuit, ut plures noctes duxerit insomnes. Itaque

ab illo secessu alius plane homo prodiit. Quae sibi curae ad spiritualem animi sui profectum magis esse debere intellexerat, ea in scripto retulit, poenitentiam videlicet, orationis et paupertatis studium, discussionem conscientiae, ab humano commercio, quantum quidem instituti nostri ratio patitur, fugam: quae omnia uno comprehensa vocabulo, et grandioribus litteris exarato sibi ob oculos constituit ad eum finem, ut nunquam memoria exciderent et quotidie proposita haberet. Vocabulum porro erat; *prope:* quae vero hoc vocabulo indicabantur, ut iam commemoravimus, erant, poenitentia, recessus, quem itali dicimus *ritiramento,* oratio, paupertas, examen. Itaque divini amoris ardore, et invandarum animarum desiderio inflammatus, totum se sacris missionibus dedere, et reliquum vitae suae tempus in opere omnium divinissimo, ut a magno Dionysio appellatur, decrevit impendere.

VI. Exposito Superioribus consilio, quos uti divinae voluntatis interpretes in re tanti momenti consulendos censuit, factaque ab ipsis potestate, tanquam missus a Deo apostolicum munus alacriter suscepit, in eoque ab anno 1665 ad annum 1692 constantissime perseveravit. Consortem apostolici muneris nactus est p. Ioannem Petrum Pinamontium, virum sanctissimum eundemque doctissimum. Tale ac tantum virorum par similitudo studiorum, imo potius Deus ipse coniunxit, qui *misit illos binos* in plurimas civitates atque provincias, ac prope in Italiam universam. Ambo sanctitate singulari eximiaque doctrina, ambo divino amore succensi, animarumque cupiditate flagrantes, ambo denique ad apostolicum munus nati factique. Laborem suscepti ministerii ita partiti sunt inter se, ut Pinamontius qui mira quadam elocutionis facilitate et suavitate praestabat, populum in iis quae ad re-

rum credendarum summam moresque corrigendos atque ad divinae legis normam conformandos pertinent, erudiret; Segnerus vero, utpote qui et firmioribus lateribus, et in dicendo vehemens et acer erat, conciones haberet.

VII. Divisis hoc pacto muneribus, ubi ad eum locum qui tanquam sacrae missionis sedes ac statio constitutus erat venissent, coacto in laxiore aede aut foro populo, p. Paulus Segnerus fere ab illis Apostoli verbis 2 Corinth. V concionem suam exordiebatur: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Multa deinde subtexebat quae auditores ad poenitentiam excitarent. Concionum argumenta fere ex turpitudine peccati, ex divino odio in malos ac nefarios homines, ex sempiternis inferorum poenis, quae mortem peccatorum pessimam consequuntur aliisque huiusmodi gravioribus christianae religionis dogmatis sumebantur, quo vehementius concuterentur auditorum animi et acrius ad poenitentiam excitarentur; quanquam et de divino in homines amore ac praesertim misericordia, qua ad poenitentiam Deus allicit peccatores, nunquam non sermonem habere consueverat: quod argumentum miro quodam artificio, et cum ingenti animorum motu tractabat. Quod reliquum erat temporis, in audiendis confessionibus impendebatur; publice quidem a p. Pinamontio, privatim vero atque in cubiculo a p. Segnero, propter aurium, quod supra indicavimus, incommodum. Vix aliquot horae in reficiendis somno ciboque viribus dabantur.

Neque vero voce tantum auditores ad poenitentiam Segnerus excitabat, sed ubi in dicendo maxime incaluerat e praesertim in perorationibus, nudatis repente humeris, atrociter adeo sibi terga ferreo flagello cruentabat, ut non tantum

copiosum sanguinem exprimeret, sed frustula carnis inde divelleret. Quo spectaculo commotus populus lacrimas tenere non poterat, et vocem intensius contendens divinam clementiam inclamabat. Hoc eo pertinebat, ut si qui obstinatiores durioresque in concione essent, eorum animi mollirentur atque ad poenitentiam flecterentur.

VIII. In his sacris exercitationibus octo vel decem dies, prout cuiusque vel oppidi vel pagi necessitas postulabat, insumebantur. Ubi extremus missionis dies advenerat publica supplicatio habebatur, quae plurimum valebat non minus ad placandum Deum, quam ad omnium animos in sancto suscipiendae melioris vitae proposito confirmandos. Procedebant igitur agmine perpetuo pueri, puellae, viri, mulieres, oppidani denique omnes in suas quique classes, habita sexus et aetatis ratione, distributi. Nemo erat in tanta multitudine, qui non aliquem poenitentiae habitum prae se ferret. Puellae ac mulieres spineas coronas gerebant in capite; ex viris partim se flagellis ad cruorem usque caedebant, partim humeris immanes truncos in crucis formam compactos sustinebant, alii catenis, alii funibus e collo suspensis, et supra pectus decussatis nudisque pedibus incedebant. Reperti interdum pueri, qui se immiscere viris et in tenera corpuscula flagris saevire non dubitarunt. Interea lugubri voce et flebiliter inflexa psalmus *Miserere*, aliaque id genus carmina, quibus iterum ad poenitentiam animi permoverentur, decantabantur. Quo processerant ordine in aedem sacram, sive in forum (neque enim sacrae aedes, ut ut laxae admodum, tantam multitudinem fere capiebant) totum agmen congregabatur. Hoc coacto, novissimam concionem habebat p. Segnerus, cuius summa eo spectabat, ut quam divini numinis iustitiam tot tantisque animi

vere poenitentis significationibus placassent, ne iterum novis perpetrandis flagitiis irritare in se vellent, et quo certius et efficacius a novis sceleribus populum deterreret, multa de laesa misericordia quae saepe fit furor, de divinis animadversionibus, praesertim in eos qui per summam improbitatem Dei ipsius bonitate et clementia ad licentius effraenatiusque peccandum abutuntur, graviter vehementerque dicebat. Haec inter novi rursns gemitus, lacrimae, suspiria, eiulatns instaurabantur. Absolnta concione, monitus quosdam maxime salutares, veluti in pignns sui erga populnm amoris relinquebat, quibus vitam sancte ac pie traducerent. Ad extremnm in medio foro excitato repente rogo, aleae, lusoriae tesserae aliaque huiusmodi neqnitiae instrumenta incendebantur. Haec fere erat methodus, quam in sacris missionibus tenuit p. Paulus Segnerus, quamque nos paullo accuratius exposuimns, ne omnino nostrae societatis hominibus extra Italiam degentibus ignota esset, ut siqui his vestigiis, a quibus temere discedendum non putamns insistere voluerint, eam hic a nobis si non expressam, saltem adumbratam inveniant. Haec enim methodus praeterquamquod sanctissimum ac doctissimum virum auctorem habet, usu probata ad Dei gloriam animarumque salutem longe fructuosissima reperta est.

IX. Sed ut eo revertar, nnde digressus sum, tanta erat hic vir eloquentia, quanta vix dici aut credi potest. Pendebant auditores ab ore loquentis, nec facile divino eloquio quod tamquam ros fluebat de labiis eius, satiari poterant. Qui oratoris tenebat artem, omnium animos flectebat ad arbitrium. Itaque eius eloquentia mirum in modum cum in extirpandis vitiis omnihus, tum tollendis praesertim odiis ac dissidiis valuit. Ad huins rei confirmationem pauca quaedam e

multis exempla subiiciam. Summum exortum erat dissidium in vico quodam ligusticae ditionis. Accolae omnes in duas factiones divisi se mutuis caedibus conficiebant, et brevi tempore ad XL necatis, multo pluribus idem exitus atque infortunium parabatur. Illo venit opportuno tempore Deo sic disponente p. Segnerus: venit, concionem habuit, dissidia sustulit: atque in tam subitae atque admirandae conciliationis monumentum de communi oppidanorum sententia erecta crux. Matronae nobili interfecto per summam iniuriam magnae spei atque egregiae indolis filio ab eaque unice dilecto, tanta repente inter interfecti et interfectoris familias exarsit discordia, ut omnes magnum hinc excitatum iri incendium quo plures ex utraque parte absumerentur, pertimescerent. Huc quoque peropportuno p. Segnerus se contulit. Vix femina nobilis cuius dolor reliquos ad odium vindictamque incendebat, p. Segnerum concionantem audivit, repente mutata pacem interfectori offerre non dubitavit. Hoc omnibus prodigio simile visum est; erat enim furiis adeo agitata, ut de ea placanda desperaretur. Oblata pace, eam statim interfector ipse domi convenit, se ad eius pedes fune collo suspenso abiicit, multis lacrimis admissi facinoris veniam implorat; quem pia matrona humanissime exceptum et amantissime amplexatum, se illum in posterum filii loco habituram dixit. Quo facto commota civitas universa, Deo publice gratias egit. In oppido quodam Ducis mutinensis odia rixaeque adeo inter oppidanos gliscebant, ut vulgo caedes fierent hominesque necarentur. Tantum malum atque adeo animis corporibusque exitiale, adventus p. Segneri sustulit, et ita, ut firmata inter dissidentes sincera stabilique concordia, ii qui sibi ex alienis calamitatibus honesto utique compendio lucrum ac victum quaerunt,


apud Ducem expostularint, se eo in oppido vitam amplins sustentare non posse, quod restinctis odiis omnibus compositisque dissensionibus nullae fierent de vi ac caede quaestiones.

X. Neque vero dissidia solum, sed cuiusque generis scandala sublata sunt. Qnocumque cnm socio veniebat p. Segnerus, vitia loco cedere cogebantur. Hoc adeo vulgo cognitum erat et exploratum, ut ii qui obstinatius in suscepta inquinatissimae vitae ratione perstare vellent, ii inquam, adventante p. Segnero, statim relicto oppido in aliud longe remotius concederent, ibique tandiu donec sacrae missiones absolverentur, latitarent. Non cnim dubitabant, quin si p. Segneri concionibus interfuissent, aut male parta restituere, aut in gratiam cum inimicis redire, aut si quas habebant concubinas, eas dimittere cogerentur. Hac igitur quam exposni ratione, tantoque cum divinae gloriae incremento et animarum salute, una cum socio totam prope Italiam peragravit spatio annorum sex et viginti, quos in apostolico mnnere consumpsit. Loca singula quae adivit enumerare non possum: dioeceses tantum commemorabo, quas totas excoluit sndoribusque irrigavit suis. Atque hae quidem sunt: lucensis, placentina, faventina, tarentina, mutinensis, parmensis, mantnana, nonantulana, regiensis, carpensis, aretina, bononiensis, ianuensis, anconitana, sarzanensis, albengana. Ex his nonnullas semel atque iterum peragravit; multo plures, sin minus totas, magna tamen ex parte obivit. Fere in vicis et castellis operam locavit suam, quod uberior inde fructus percipi solet. Urbium celebritatem defugit, quod maiori labore minori compendio, ibi operam impendi existimabat.

XI. Qnanquam interdum repugnare non potnit, quin summornm Episcoporum efflagitatu se ad urbes conferret.

Itaque in nobilissimis frequentissimisque Italiae urbibus sacras missiones quandoque habuit. Inter ceteras Bononia fuit, quam adeo concussit, ut grandiores natu maiores in ea civitate motus numquam excitatos fuisse meminerint: qui vero annales legerant, Segneri accessus ad eam urbem cum s. Bernardini senensis ad eamdem adventu conferre non dubitarint. Neque hoc incredibile videri debet, propterea quia summa de hoc viro tota Italia percrebuerat existimatio qua fiebat ut miri ad eum audiendum concursus fierent. Saepe templa quantumvis laxa ingentem populi ex remotioribus pagis certatim confluentis multitudinem capere minime poterant. Ipsa fora interdum angusta erant; itaque exire oppido, et in apertum locum herbosamque se conferre planitiem cogebatur. Ut minimum tria, vel quatuor hominum millia censebantur; quandoque ad viginti, et interdum etiam ad triginta capitum millia auditorum multitudo excrevit; tanta frequentia ac celebritate, quantam de paucis vel sanctissimis et apostolicis viris legimus.

XII. Tantam porro frequentiam non solum perspecta viri sanctitas, sed etiam prodigia quibus Deus sanctitatem hanc ipsam adstruere voluit, conciliarunt. Prorsus mira de Segnero narrantur, atque haec quidem ab idoneis auctoribus iureiurando confirmata. Nos praecipua seligemus. Carpi cum esset, et ad confertissimam populi multitudinem aperto ac patenti loco concionaretur, repente ingens procella ac tempestas coorta est. Imminentis pluviae timor concionem dissipasset, nisi a p. Segnero stare iussa constitisset. Summus itaque descendit imber, sed totus extra concionis ambitum effusus est. Mensis erat augustus, aestus summus saeviente canicula, et ferventissimi solis radiis exposita multitudo. Incboata a P.



in aere ad palmos a terra circiter quatuor adspexit; et quo testatius miraculum esset parochum accersivit, eumque tanti prodigii spectatorem esse voluit et testem.

XIV. Constat etiam prophetiae spiritu afflatum multa praedixisse, animique secreta penetrasse. Vita functo Innocentio XI cum haberentur comitia, a Cardinalibus demortuo Pontifici suffectum iri Ottobonum diserte Fadulpho asculanorum antistiti pronuntiavit; Ottobono autem consequentibus comitiis, Pignatellum successurum sine ulla haesitatione praedixit. Utramque praedictionem eventus confirmavit. Mulierem quamdam apud se peccata confitentem sua, cum iterum et saepius interrogasset, num aliud memoriae occurreret quod enunciari oporteret, negassetque illa: infelix, ede, inquit, quod in sterquilinio occuluisti. Improvisa denunciatione perculsa mulier et ingenti rubore suffusa, se eo in loco filii cadaver, quod scelere suscepisset, occultasse confessa est; eamdem vero multis lacrimis veniam perpetrati facinoris implorantem, rite confessam absolutamque dimisit.

XV. Nunc ut eius virtutes perstringamus, praeter ardentissimam in Deum proximosque caritatem, quorum causa tot labores in sacris suis peregrinationibus suscepit ac pertulit, singulari fuit humilitate; quae tanto admirabilior in eo exstitit, quanto maioribus ingenii ac doctrinae ornamentis abundavit. Itaque insigniora munera quae ei delata sunt, constanter recusavit, et sola obedientia coactus suscepit. Orationis studio maxime deditus, quod a reliquis occupationibus superabat otii, totum orando extrahebat. Erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum devotionis sensu mire afficiebatur; lacrimas cum rem divinam faceret tenere non poterat. Beatissimam Virginem parentis loco habuit, de eaque egregium scripsit

volumen, in quo ea omnia complexus est quae ad divinae Matris cultum augendum prope dici aut excogitari possunt, ut mirum sit tot ac tanta in angustum volumen cogi potuisse. Laboris amantissimus nunquam otiabatur. Redux a suis expeditionibus et labore confectus, se in collegium florentinum tamquam ad hiberna recipiebat, ibique in scribendis praeclaris illis suis operibus occupabatur, quae ei tantam existimationem pepererunt. Quanquam in iis scribendis non suam, sed Dei unice gloriam spectavit, cui se totum iam inde ab ingressu societatis consecrarat.

XVI. Sed quoniam de operibus a p. Paulo Segnero conscriptis sermo incidit, non est omittendum praeclarum opus ac saluberrimum, quod ab eo inscriptum fuit: *Concordia inter laborem et quietem*; et res tota, quae multum valet ad declarandum eius zelum pro catholicae fidei integritate, paulo fusius exponenda est atque altius repetenda. Vivebat Romae Michael de Molinos ex eorum genere, de quibus Christus in evangelio, *veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ore ad pietatem composito, summam apud omnes existimationem sibi collegerat, ut vulgo sanctus et haberetur et appellaretur. Nemo de fraude in tanta simulatione virtutis suspicabatur. Interim pessimus homo non cessabat pravos errores disseminare, et nescio quas de contemplatione Quietis, unde haeresi Quietismi nomen adhaesit, pestiferas opiniones. Qua erat his in rebus sagacitate p. Segnerus odoratus est praedam, lupumque sub ovis pelle latitantem detexit. Libellum conscripsit, quo Molinos errores egregie confutabantur. Sed bona hominis existimatio adeo romanorum animos pervaserat, ut omnium odio in libri auctorem converso, Segnerus tota urbe passim male audiret,

perinde quasi sanctissimum atque innocentissimum virum haeresis insimulare per summum scelus atque impudentiam ausus esset: liber vero a Segnero editus inter proscriptos auctoritate publica relatus est. Factum modestissime tulit p. Segnerus, remque omnem Deo commisit, qui tandem callidi veteratoris patefecit insidias. Igitur deprehensa fraude, damnatus Molinos, absolutus p. Segnerus; eiusque liber de proscriptorum numero sublatus. Itaque singulari Dei providentia effectum est, ut qui privatorum bono excolendis tot dioecesibus laboraverat, communi etiam totius ecclesiae utilitati exstirpandis haeresibus inserviret.

XVII. Verum inter ceteras virtutes singularis in p. Segnero extitit poenitentia. Hirsuto cilicio, ex setis verius quam ex hispidis pilis contexto induebatur. Catenulas ferreas acutissimis exstantibus acuminibus ad nudam carnem adhibebat. Se catenis ferreis ad lanienam usque cruentabat. His non contentus novum tormenti genus excogitavit. Acus plusquam tercentas confixit in subere, quo sibi fodicare pectus horrendum plane in modum solebat, eodemque etiam in missionibus utebatur, maxime cum alicuius obstinatioris expugnanda esset pertinacia. Cum paene vires tractandis flagellis deficerent, vicariam sacerdotis cuiusdam adhibebat operam, qui triste ministerium minime refugiens eum dirissime caedebat. Hunc sacerdotem totos duodecim annos ad nutum habuit, a quo fere quotidie ad horae dimidium et eo amplius caedebatur: quo facto se ad eius pedes abiiciebat, et quam maximas poterat agebat gratias. Interdum nudato corpore ad columnam alligari ab eodem voluit, atque hoc habitu ad sanguinem usque verberari, quo Christi patientis imaginem expressius repraesentaret. Saepissime etiam detractis vesti-

bus accensaque face, defluentes inde flagrantes cerae guttas excipiebat intrepidus. Cum iam senuisset, nec sacerdotem hunc, de quo diximus, praesto haberet, idem sibi officium a domestico fratre praestari enixius postulavit, sed impetrare non potuit. Adhuc in tyrocinio s. Andreae instrumenta, quibus ad sui corporis afflictationem utebatur, in arcula asservantur, et horrendam intuentibus speciem exhibent.

XVIII. His aliisque virtutibus, quas brevitatis causa omittimus, iam ad provectam pervenerat aetatem nihil magis exoptans, quam in suscepto sacrarum missionum ministerio vitae suae cursum conficere. Verum defuncto Romae p. Nicolao Maria Pallavicino, qui et theologi sacrae Poenitentiariae, et episcoporum examinatoris muneribus fungebatur, utrumque munus Innocentius XII p. Segnero detulit. Oblatum honorem quantum potuit a se deprecari conatus est vir humillimus, sed frustra. Itaque relicta Florentia, ubi tum diversabatur, Romam venit. Additum et tertium munus, habendi nempe conciones ad sacrum cardinalium collegium, quibus muneribus egregie pro sua singulari doctrina cumulateque satisfecit.

XIX. Sed iam homini tot laboribus perfuncto, ac paene confecto aeterna requies debebatur. Et sane gravi incommodo tentari coepit, quo admonitus mortem sibi in foribus adesse cognovit. De medicorum sententia Tibur se contulit, sed nullum ex aeris mutatione levamen capiens Romam reversus, die VII decembris decubuit, statimque tanta morbi vis erupit, ut de eius vita omnino desperatum sit. Instantem mortem timide, uti fit, denuntianti intrepide respondit: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* Sequenti die Beatissimae Virgini sine labe conceptae sacro, ingrave-

scente morbo, se totum Deo obtulit illa usurpans *Benedicam Dominum in omni tempore*, et illa *Abyssus abyssum invocat.* Abyssus, inquam, ut s. Bernardus interpretatur, miseriae abyssum invocat misericordiae; tum rite confessus, sacrosanctum Christi Domini corpus summa devotione sumpsit, quo suscepto, sacroque non ita multo post oleo inunctus, inter consuetas ecclesiae atque adstantium preces, placidissime decessit IX decembris anu. MDCLXXXXIV annos natus LXX, quornm quatuor et decem extra societatem innoceutissime vixit, sex vero et quinquaginta in societate sanctissime transegit. Elatus est summo hominum concursu; eius funus plurimis principibus viris honestautibus. Innocentius XII, qui enm Romam evocarat, aegre admodum eius mortem tulit, et virum sanctum atque angelum semel, iterum, tertio decessisse pronuntiavit.

XX. Et sane vir fuit aeque sanctus ac doctus. Et sanctitatem quidem haec ipsa, quae de eius moribus ac vita perstrinximus, satis ostendunt. Doctrinam vero, eius opera omninm manibus contrita et paene in omnes Europae linguas conversa, declarant. Multa scripsit quae tribus ingentibus comprehenduntur voluminibus, ut mirum sit, hominem tot tantisque pro salute animarum distractum occnpationibus, tam multa tamque accurate et eleganter scribere potuisse. Eius operum stilus maxime probatur a doctis, et facile propter insignem quamdam perspicuitatem et numerum dignoscitur: qnem quidem minime negligendum duxit, cum diceret, gladium non minus acie ferire, quam fulgore suo hostium oculos perstringere. Sed non de stilo tautnm, sed etiam et multo magis de rebus laboravit, quod eius opera pervolutantibus apparet. Etenim et in ss. Patrum lectione egregie versatus fnit, et theologorum nou solum placita omnia sententiasque

cognovit, sed de iisdem subtilissime indicavit. Quod autem ad eloquentiam attinet, prorsus exstitit singularis, et iure ac merito habitus est eloquentissimus unus et disertissimus italorum. A Cicerone multa mutuatus in rem suam transtulit; eiusdem acerrimam in dicendo vim, ac maiestatem mirabiliter expressit; unde illi Ciceronis italici cognomen adhaesit. Atque hoc non ei vitio dandum, sed potius laudi, quod hominem ethnicum christianae religioni, ac Christo ipsi servire coegerit.

XXI. Floruit summorum principum amicitiis, ex quibus nihil unquam in privatum suum commodum derivavit, sed eas contulit aut ad levandam tenuiorum inopiam, aut ad tollenda scandala, aut ad alia eiusmodi constituenda, quae cederent in Dei gloriam, ac salutem animarum. Inter hos praecipue numerantur Duces parmensis et mutinensis et Innocentius XII de quo supra mentionem fecimus. Tenuit quoque summum gratiae locum apud Cosmum III magnum Etruriae Ducem, qui plurimum spectatae hominum sanctitati, doctrinae ac prudentiae detulit. Eo suasore multa constituit, quae et Etruriae toti et maxime christianae religioni valde salutaria extiterunt. Eius in iis, quae ad animi sui spiritualem profectum pertinebant, consiliis potissimum usus est. Praesentem tanquam divinae interpretem voluntatis audiebat, absentem litteris consulebat. Extant adhuc litterae ultro citroque missae, quae et eximiam illius principis pietatem, et singularem p. Segneri doctrinam, prudentiamque declarant.

XXII. Fuit aspectu ad gravitatem, maiestatemque composito, colore albo, optima corporis habitudine, ingenio acerrimo, eloquentia singulari. Quae tot ac tanta bona a Deo largitore illi impertita Dei, ipsius obsequiis et animarum saluti prorsus impendit.

II.

P. PAVLVS SEGNERVS IVNIOR

I. P. Paulus Segnerus iunior appellatus patris Pauli Segneri senioris fratris filius fuit. Proposita clarissimi patrui exempla tanto studio ac diligenti imitatione persecutus est, ut ea non tam imitari quam aemulari visus fuerit. Natus est Romae nobili genere, anno ab ortu Christi MDCLXXIII die XVIII octobris. Patrem habuit Ioannem Segnerum et Matrem Magdalenam Inghiramiam, Ioannis Inghiramii filiam, qui dignitatem senatoriam Romae obtinuit quae quidem dignitas, propterea quia uni tantum mandatur, Romae longe amplissima habetur. Quanquam spectata nobilitas multo reliquis animi et virtutis ornamentis inferior fuit. Nam sanctissime vixit, ab obitu praesertim viri et filii ingressu in Societatem, ac singulari probitatis opinione decessit. Eius virtutes collegit diligenter ac mandavit litteris Cherubinus Cavallinus Abbas ex olivetana familia, quem ipsa sibi conscientiae suae moderatorem delegerat.

II. His ortus parentibus Segnerus non minus liberaliter quam pie educatus est. Quae sanctitatis et apostolici zeli indicia perspecta diximus in patruo, eadem in fratris filio observata. Saepe enim ad aequalium coetus de eminentiore aliquo loco verba faciebat, et quidem ita pro aetate eloquenter, ut omnes ardorem animi ac facundiam admirarentur. Adolescens gymnasium collegii romani celebravit in eaque frequentia singulari pietatis et ingenii laude floruit. Interim ei moritur pater alienissimo familiae tempore. Mater ne quam de filio expectationem conceperat eventus falleret, Viterbium mittendum censuit, ut esset apud avunculum Bernardinum Inghiramium qui illi urbi totique Provinciae cum potestate nomine Pontificis praeerat. Hic cum litteris in nostro collegio operam daret, et nihil minus quam de ineunda societate sed potius de constituenda propagandaque familia cogitaret, mutato repente animo cognitaque rerum vanitate, valedicere statuit rebus humanis seque Deo in societate Iesu consecrare.

III. Verum ut eius consilium innotuit, dici non potest quantum inde avunculus aegritudinis ceperit. Nec minor matris dolor fuit, quae filii consilium a iuvenili levitate profectum existimans, non illud quidem omnino improbare ausa est, sed carissimum a se filium divelli in quo familiae spes nitebatur, ferre non poterat. Itaque ad eum epistolam scripsit, qua nescio an fortior machina ad concutiendam filii constantiam a quoquam potuerit admoveri. Epistola erat plena luctus, plena moeroris et lacrimarum. Sed maternam caritatem vicit Dei caritas. Intrepidus iuvenis restitit carni et sanguini, maluitque vocem Dei se ad perfectioris vitae genus vocantis audire, quam reclamitantis naturae a sanctoque proposito revocantis. Multo iniquiorem hoc in negotio avunculum

expertus est, qui praeterquamquod ei omne commercium cum nostris hominibns interdixerat, ne verbum quidem hac super re andire patiebatur. Sed eius tandem animum, et constautiam iuvenis, et patris Pauli Segneri auctoritas expugnarunt. Itaque tnm ab avnnculo tum a matre, exorata societatem iugrediendi facultate, disruptisque feliciter laqueis omnibus quibus detinebatur, nobilis adolescens ad romanum tyrocinium convolavit anno MDCLXXXIX die XXV iunii.

IV. Vix societatem ingressus totum se studio perfectionis dedidit, tantumque in ea palaestra profecit, quantum eius postea sanctitas declaravit. Multa ad eius spiritnalem profectum patrui cohortationes ac praecipue exempla contulerunt quae ob oculos quotidie proposita babebat: eadem enim in domo diversabantur.

V. Absoluto tyrocinio animum ad ea stndia adiecit in quibns exerceri nostra iuventns solet. Inter baec e vivis eripitur p. Paulus Segnerus ea sanctitatis opinione quam illi et suae virtutes et singularia in omne bominnm genus merita conciliaverant. Mors tanti viri tnm omnibus tum praesertim ipsi multo acerbissima accidit, qui in clarissimo sibi patruo, et bortatorem virtutis et religiosae perfectionis magistrum amisit. Non parnm tamen ex eius obitu emolumenti percepit. Nam observatum est ad defuncti patris feretrum multas boras orando immotum perstitisse, quo tempore nonnulli nec temere couiectarunt illud potissimum a Deo flagitasse ut *patrui spiritus fieret in se duplex,* idque interpositis venerabilis viri precibus impetrasse eventus docuit.

VI. Et sane ab eius obitu ardentissimo coepit apostolicae vitae desiderio flagrare, incensusque est mirum in modum zelo animarum. Patrui mortem matris obitus excepit, cuins

acerbitatem singulari moderatione tulit, utpote qui illam eximia pietate complectebatur. Cuius quidem moderationis singulare edidit docnmentum. Nam eodem tempore quo matri iusta persolvebantur in templo s. Mariae Novae fiebatque concursus populi ad spectandum eius cadaver ob insignem et notam feminae probitatem, eodem, inquam, tempore in adiacenti foro ac paene in ipso defunctae matris conspectu ad affusam multitudinem concionari non dubitavit, omnibus qui eum noverant, tantam tamque inusitatam animi constantiam demirantibus.

VII. Absoluto philosophiae curriculo senensi collegio destinatus, ea in urbe grammaticam et humaniores litteras docuit. Ob ingentes labores, qui necessario in docendi munere subeundi sunt illosque multo maiores quos ipse sponte sua suscipiebat, tentari eius valetudo coepit. Nihil tamen ad moderatores ea de re perscripsit illud usurpans: *esto ibi usque dum dicam tibi.* Consumptis aliquot annis in puerorum institutione et regressus Romam theologiae operam dedit.

VIII. Concussa sub haec tempora terrae motu Roma, sacrae missiones ad placandam divinam indignationem a Pontifice indictae sunt. Delecti concionatores, sua quibusque attributa templa in quibus ad populum verba facerent. Templum s. Angeli in foro piscario Segnero obtigit, et tum quidem primum patuit quantis a Deo praesidiis ad apostolicum munus comparatus esset. Ingens concursus, summa animorum commotio, fructus commotioni respondens, singularem concionatori apud omne hominum genus existimationem conciliarunt. Creber denique atque adeo honorificus de eo illis diebus tota urbe sermo fuit, ut fama usque ad aurem Pontificis Maximi pervenerit. Verum cum novis terrae motibus urbs

succuteretur, Segnerus iterum in concionem prodivit. Electus celebrior urbis locus est ad ripam tiberis gerulis ac navicularis frequentissimus, quos in proximo valetudinario s. Rochi, quod tum forte vacuum erat, spiritualibus s. Ignatii exercitationibus excolendos suscepit. Fructus prope culturam superavit. Nemo exstitit ex tanta multitudine, qui conscientiam non expiaverit suam, atque ad sacram synaxim summa cum devotione non accesserit. Indicta a Patre ad basilicam s. Petri supplicatione, processernnt omnes tanta oris compositione, ut effusa ad hoc spectaculum civitas externum procedentium habitnm vehementer admirata fnerit.

IX. In hunc modum prolusit p. Segnerus apostolico muneri, cui iam communibns omnium votis destinabatur. Nemo dubitabat, quin absoluto theologiae curriculo prodeundi in sacras missiones ei a moderatoribus potestas fieret. Verum secus evenit. Nam seminario romano addictus est, et regendis adolescentibus nobilissimi illius convictus rectori adiutor ac minister datus. Oblatum mnnus, etsi ab eo quammaxime abhorreret, ex obedientia suscepit, nec eorum sequutus est consilium qui suadebant, ut odiosam provinciam a se deprecaretur. Verum Deus tantam virtntem intra unius domus angustias circnmscribi non est passus, et qui ad eius obedientiae periculum faciendum illam destinationem ordinarat, brevi ad sacras missiones ei aditum patefecit.

X. Cosmus eius nominis III magnus Etruriae Dux, qui singulari benevolentia patruum complexus fuerat, multaque de fratris filio praedicari audierat, societatis moderatoribus ad excolendos ditionis suae populos Segnerum nominatim petivit. Tanti principis et benemerentissimi de societate, societatis moderatores voluntati statim obsequuti sunt. Itaque mis-

sus Florentiam, omnibusque benevolentiae significationibus a Cosmo exceptus, quo paratior ad sacrum munus esset, tertium probationis annum confecit. Illic si unquam alias, in id totus incubuit, ut virtutes apostolico viro maxime necessarias sibi compararet, humilitatem, patientiam, mansuetudinem. Paupertatis studio reculas quas habebat abiecit omnes, nihilque retinuit praeter imaginem Christi crucifixi et sacrarum horarum codicem: libellum quoque in quo recitandae psalmodiae ratio diurna perscribitur ad superiorem detulit, eo contentus qui publico usui in aula prostabat. Hoc modo quo rebus omnibus spoliatior, eo instructior ad apostolicum munus accessit.

XI. Atque in primis eamdem omnino tênuit methodum quam p. Segnerus eius patruus reliquerat, ac prope consecrarat. Prodibat singulis diebus in locum concioni destinatum, concionabatur ad effusam populi multitudinem, idemque, prout se dabat occasio, christianae doctrinae summam explicabat, utrasque enim partes et concionatoris et doctoris obibat egregie. Supplicationes quas poenitentiae vocant, eodem habebat modo quem iu patrui vita descripsimus. Nocturnos quoque conventus, exclusis feminis, ad peculiarem virorum cultum nunquam omisit. In perorationibus ferreis se flagellis atrociter caedere cousuevit, quo obstinatiores flecteret ad poenitentiam. Ad haec, exemplo patrui nudis semper incessit pedibus, peregrini habitu, demissa e collo ad pectus Christi crucifixi imagine, bacnlo in manibus viatorio et brevi humeros protegente sagulo.

XII. Atque hoc modo non paucas obivit dioeceses, lustraturus utique universam Italiam cum infinita populorum utilitate, si diutius ei vita suppeditasset. Sed in medio cursu, et

magna agentem, et maiora cogitantem inopina mors intercepit. Iam tota Italia eius fama pervagata erat, adeo ut frequentes ad eum episcoporum ac principum virorum litterae pervenirent, quibus ad suam quisque vel dioecesim vel ditionem illum pertrahere certatim conabantur. Ubi vero fuit, satis explicari non potest quanto cum incolarum bono atque utilitate fuerit, ut ii beatissimi haberentur apud quos diutius commoraretur. Mitto hoc loco recensere sublatas discordias, conciliatas amicitias, compressas libidines, coercitam blasphemantium impietatem, meretrices extractas e luto ac sordibus: contra vero bonos ubique mores inductos, frequentem sacramentorum usum commendatum atque alia huiusmodi, quae quod omnibus patris Segneri missionibus communia erant, usu paene ipso viluerant. Duas tantum missiones commemorabo, mutinensem unam, florentinam alteram, quae reliquis a p. Segnero habitis, et rerum gestarum amplitudine et commotione animorum, nobiliores insignioresque fuerunt.

XIII. Mutinam a Raynaldo I Duce evocatus amplissimo urbis loco, qui septuaginta hominum millia capere dicitur, ad conventus populi habendos electo, vix in conspectum se dedit p. Segnerus, non solum totam civitatem, sed etiam tantam tamque incredibilem ex vicinis pagis castellisque excivit multitudinem, ut paene omnem patentissimae illius areae amplitudinem compleverit. Quid plura? hebraei ipsi magno numero ad audiendum apostolicum virum concurrerunt: quamquam non tanti infinita prope hominum multitudo facienda est, quanti aestimandus est fructus qui collectus fuit uberrimus. Hunc licet coniectare ex perditis mulieribus quae relicto infami quaestu e coeno ac sordibus, in quibus iacebant miserrime, ad viginti emerserunt. Nec vero hebraei quos

Patris concionibus interfuisse diximus, non aliqua ediderunt signa pietatis; ferunt enim apostolici concionatoris eloquentia permotos, ingentem pecuniae vim ad usus pios liberaliter erogasse. Haec aliaque huiusmodi patrata sunt praeter consuetudinem, quorum memoria ne intercideret, grata civitas marmoreo monumento insculpta ac testata esse voluit. Monumenti autem exemplar hic exhibemus.

DEO . OPTIMO . MAXIMO
QVOD . APOSTOLICA . MISSIONE
A . P . PAVLO . SEGNERO . SOCIETATIS . IESV
HOC . IN . LOCO
ADMIRABILI . CORDIVM . COMMOTIONE
DECEM . INTEGRIS . DIEBVS . PERACTA
MAGNVM . SVI . TIMOREM . PARITER . AC . AMOREM
VNIVERSO . POPVLO . MVTINENSI
INFVDERIT
PRIDIE . IDVS . IVNII . ANNO . MDCCXII
REGNANTE
RAYNALDO . I . MVT . REG . MIRAND.
DVCE

XIV. Nec minor Florentiae animorum motus fuit. Hic quoque ad capiendam immensam multitudinem electum forum, quod est ad templum s. Crucis amplissimum. Praeivit omnibus singularis pietatis exemplo ipse magnus dux Cosmus III, qui quotidie Patris concionibus interfuit. Principis exemplum tota civitas sequuta est. Sementi iactae per eos dies respondit messis, qua sudores servi Dei abunde compensati sunt. Nostri quotquot degebant Florentiae, tum in collegio,

tum in domo tertiae probationis, vix capere partem quietis aliquam potuerunt, assidue in excipiendis poenitentium confessionibus occupati. Verum tantae multitudini non suffecissent, nisi in laboris partem sacerdotes omnes ex ordine tum regulari tum saeculari successissent. Seniores numquam, nec sua nec patrum memoria tantum in ea urbe motum concitatum tantamque morum factam esse conversionem, passim affirmarunt. Cosmus vero qui populos sibi creditos, tam probe exscultos vidit, credi non potest qnanto gaudio exultaverit. Perscripsit hac de re litteras ad societatis moderatores honorificentissimas, in quibus iis gratias agit quam maximas, quod sibi hominem adeo sanctum subditorum suorum bono utendum concessissent, collaudat apostolici viri fervorem ac zelum, affirmatqne apud se tanti beneficii memoriam numquam interituram: ad extremum devotionem suam erga societatem universam, quam appellat ordinem de ecclesia catholica benemeritum, perpetuam fore pollicetur.

XV. Hos fere motus animorum ubicnmque fuit Segnerus excitavit. Quod de florentina ac mutinensi missione dictum a nobis est, de lucensi atque aretina dici potest. Aloisius Horatius Spada lucensis episcopus idemque cardinalis, rerum a p. Segnero in sua dioecesi gestarum narrationem perscripturus, ab illis s. Ioannis verbis magnifice non minus quam vere exorsus est « *Quod audivimus, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt testamur et annuntiamus vobis* ». Quo exordio satis declaratur, quae et quanta ad Dei gloriam ac salutem animarum a p. Segnero gesta sint. Non minus egregium de missione quam habuit Aretii atque honorificum testimonium, eius urbis episcopus dedit. Affirmavit enim ex prope infinita multitudine, quae ad quadraginta ho-

minnm millia convenit, neminem inventum esse qni se Deo salutari poenitentia non reconciliarit. Addidit etiam tantam exstitisse ferventissimi Patris eloquentiam, tot excitatos clamores misericordiam veniamque implorantium, tot denique lacrimas vulgo ab omnibus profusas, ut vel saxea corda emolliri ad poenitentiam ac scindi omnino debuerint.

XVI. Iam vero ex his facile colligi poterit, non solum quae gesserit p. Segnerus, sed etiam quae ad Dei gloriam gestnrus erat, si diutius uti supra indicavimus vixisset. Sed quoniam Deo placnit sanctum virum ad sempiternam qnietem maturius evocare quam tot populorum salus postnlare videbatur, divinae voluntati acquiescendum fuit. Verum qnod ipse e vivis ereptns per se efficere non potuit, per alios effecit qui ex eius disciplina prodiernnt. Constans perspectae sanctitatis fama multos illi comites conciliavit, qui eius methodum edocti et cohortationibus inflammati, apostolici viri et multis provinciis salntares evaserunt. In his plane digni sunt, de quibus mentio cum laude fiat pp. Ascanius Simi, Ignatius Xaverius Constantius, Felix Lana, Ioannes Cribellns et Ioannes Baptista Cancellotns, atque hi quidem omnes ex nostra societate, qui universam Italiam adiectamque Corsicam sacris missionibus obierunt, et in vinea Domini strenne naviterque laborarunt. Et in Corsica qnidem messis praeter modum copiosa fuit. Tradnnt enim, discordias tot tantasqne in illo regno sedatas, ut ad telornm omnisque generis armorum quadraginta et eo amplius millia unnm in locum comportata sint; summo illorum populorum bono, quibus firmata inter ipsos pace, rixarum qnoque incitamenta atque instrumenta caedis ablata snnt.

XVII. Neque vero nostri tantum se p. Segnero in disciplinam tradiderunt: sed etiam externi ac praesertim duo patres ex franciscana familia, quos adeo illexit p. Segneri consnetudo, ut una cum eo qnamdiu vixit esse voluerint. His accessit tertius non sine insigni lande commemorandus, venerabilis p. Leonardus a Portu Mauritio ex eodem ordine s. Francisci strictioris observantiae. Hic se comitem addidit p. Segnero, tum sacrarum missionum rationem totam probe edoctus omnem Italiam peragravit, singulari cum animarum fructu et divinae gloriae incremento. Non multos ante annos obiit Romae plurimis a Deo illustratus prodigiis. Hoc idcirco commemorandum duximus, propterea quia nos servi Dei gratiam inituros existimavimus, si quod ipse vivens prae se ferebat, idem eodem mortno vulgaremns.

XVIII. Sed quoniam de sociis p. Pauli Segneri sermo incidit, duo nobilissimi gennenses non sunt silentio praetermittendi Ioannes Thomas Centurionus et Iacobus Lomellinus, qui raro exemplo repudiatis honoribus quos consequi in repnblica in qua nati erant poterant amplissimos, Patri adhaeserunt. Et Lomellinus qnidem, quo omnem propagandae familiae spem praecideret, sacerdotio voluit initiari. Hic ita se p. Segnero addixit, ut ab eius latere nunquam discesserit. Ab obitu vero Patris tantum abfuit ut se reciperet in patriam, ut constantissime usqne ad mortem in suscepto proposito nostros in sacris expeditionibus comitandi patres perseveraverit. Decessit demum Sarzanae singulari opinione virtutis. Cadaver ingenti concnrsn popnli elatnm fuit et nobili tnmulo, contra atque ipse testamento mandarat, compositum.

XIX. Vernm sacrarum p. Segneri missionum fructus non solius Italiae finibus se continuit, sed in Germaniam usque

pervasit. Anna Aloisia serenissimi magni Etruriae Ducis Cosmi III filia et Electoris Palatini uxor, duos e nostris e Germania in Italiam mittendos curavit ad eum finem, ut a p. Paulo Segnero, de cuius eximia virtute singularem habebat opinionem, ad apostolicum munus erudirentur. Et vero probe tanto magistro atque doctore eruditi sunt tantumque profuerunt, quantum postea copiosissima collecta messis declaravit. Exstant litterae Dusseldorfio et Aquisgranio ad supremum societatis moderatorem perscriptae certissimum uberrimi fructus testimonium. In his mira narrantur: catholici ad meliorem frugem traducti, haeretici bene multi Deo et ecclesiae romanae conciliati, concursus extraordinarii ad viginti et quandoque ad triginta hominum millia.

XX. Et sane non est cur miremur, si ratio quam descripsimus habendarum missionum, in exteris nationibus nova quadam specie tantos excitarit motus, cum in Italia ipsa in qua iampridem viget tanta cum animorum commotione adhibeatur: neque enim aliter esse potest, si rem ipsam attentius investigemus. Tot enim ac tam potentes peccatorum cordibus machinae admoventur, ut divina praesertim adspirante gratia, vel obstinatissimi expugnari omnino debeant. Cuius rei certissimum testimonium mihi est, quod mali homines, malo utique instigati daemone, hanc methodum criminari nunquam destiterunt: unde inferri licet, et Deo gratam et animis salutarem et inferno maxime infestam esse atque exitialem. Atque hi quidem obtrectatores p. Segnero non defuerunt: verum eorum calumniae facile diluuntur plurium episcoporum testimonio, ac praesertim gravissimo Clementis XI iudicio, qui p. Segnerum plurimi fecit eumque ad excolendum recepto iam atque usitato more Picenum

ipsemet allegavit. Qua in legatione obennda, uti paulo post narrabimus ubi praecipuae eius virtutes a nobis fuerint indicatae, vita functus est.

XXI. Nulla fuit virtus apostolico viro digna quae in eo non emineret. Atque humilitas quidem quae reliquarum virtutum fundamentum est in p. Segnero mire eluxit. Etiamsi tot ac tanta quanta demonstravimus pro Dei gloria ac salute animarum gessisset, de se tamen humiliter sentiebat seque inutilem servum appellabat. Summa erat apud omnes existimatione et sanctus vulgo ab omnibus appellabatur et habebatur; *non tamen ambulavit in magnis et in mirabilibus super se,* sed qua erat animi demissione, quanto magis laudibus efferebatur, tanto magis se infra omnes abiiciebat. Itaque semper aliis subesse maluit quam praeesse, parere quam imperare. Quod autem ad paupertatem attinet quae humilitatis comes est, eam sibi, ut S. Bonaventurae verbis utar, *desponsasse visus est.* Iam diximus quomodo se ad apostolicum ministerium comparaverit, abdicatione nempe rerum omnium quae non modo superfluae essent, sed etiam necessariae videri possent. Vestibus incedebat detritis atque laceris. Quae ei dono oblata erant constantissime repudiabat, et nihil magis horrebat quam quidquam a quoquam acceptare, quo eius labores unice ob divinam gloriam ac salutem animarum suscepti compensari aliquo modo viderentur. De obedientia vero quae humilitatis comes merito iudicatur, nihil dicam nisi morigerum adeo se praebuisse superioribus, ut nihil ageret ac prope ne cogitaret quidem sine eorumdem facultate.

XXII. Orationis studio apprime deditus fuit. Quod illi occupationes quibus distinebatur reliquum faciebant tem-

poris, totum precationibns rerumque caelestium contemplationi impendebat, et sacris quidem occupatus missionibus, in quibus respirare vix licet, nihil nunquam de praefinito meditationis, lectionis et examinum tempore praecidit. Solebat etiam interdum colligendi sui causa se in solitaria loca recipere, in quibus se totum orationi dabat. Huiusmodi porro loca fere in Etruria erant, aut altissima Alverniae iuga ant montosa Camaldulensium nemora; haec s. Romualdi, illa s. Francisci secessibus consecrata. Ex his montibus tamquam alter Moyses ex Orebo divini amoris igne inflammatns descendebat, quo postea longe lateque diffuso omnium corda animosque corriperet. Ex hoc orationis studio mirus quidam in eo oriebatur devotionis affectns. Hinc iuges lacrimae illi profluebant ex oculis cnm sacra mysteria celebraret. Hinc etiam singularis devotionis sensus erga sacrosanctam Christi humanitatem et sanctissimam eiusdem Parentem; et hanc quidem ita dilexit nt eius etiam cultum mirifice propagaverit. Inter eius conciones illa maxime probabatur, quam de beata Dei Genitrice snb finem sacrae missionis habere consueverat. Eins exemplaria manu exarata circnmferuntur, sed vereor ut fideliter descripta sint.

XXIII. Iam ut aliquid de eius singulari innocentia dicamus, haec talis fuit qualem luculentissima gravissimorumque virorum qui eum intime norant testimonia confirmant. Haec porro testimonia legere est in eius vita copiose luculenterque a p. Francisco Maria Galluzio conscripta. Ceterum si ut inquit S. Ambrosins, *imago quaedam animi loquitur in vultu*, ex ore p. Segneri sese eius prodebat innocentia. Angelus vulgo appellabatur, et angeli quidem erat aspectus et

hoc nomine dignissimi mores. Non defuit qui luderet in eius nomine atque anagramma conficeret quo *angelus nive purior* dicebatur. Hanc tantam innocentiam veluti candidissimum lilium poenitentiae spinis munivit ac sepsit. Hac in re asperrimum illud afflictationum genus, quo in genere excelluit patruus, prope est assequutus. Cilicio asperrimo utebatur ad nudam carnem, lineis vero indusiis texturae crassioris ut cilicii vices obire possent. Flagra adhibebat ferreis compacta laminis quibus sibi humeros non diverberabat sed concidebat. Nullus vero in se caedendo modus, praesertim ubi incaluerat in concionum peroratione. Prudentum hominum opinio fuit, tot suscipiendis voluntariis afflictationibus tantaque sanguinis effusione (erat enim gracili admodum ac delicato corporis habitu) opinio inquam fuit, sibi ante tempus mortem arcessivisse.

XXIV. Et sane cum Senogalliam se contulisset iussu Pontificis Maximi ibique consueta sacrarum missionum impigre exsequi munia coepisset, morbo correptus est. Hunc primum contempsit, quamquam non obscuris significationibus lethalem illum sibi futurum multis ante praedixisset. Verum non ante morbo cessit quam paene ad exitum sacram missionem perduxerit; quo vehementer ingravescente, tandem eiusdem violentiae cedere coactus est. Nihil praetermissum ab amantissima civitate quo sanitati restitueretur. Evocati praeter eos qui medicinam ea in urbe faciebant ex vicinis urbibus medici. De communi omnium sententia multa adhibita remedia, sed nullo aegrotantis levamento. Ubi vulgatum est summum in discrimen vitam sancti viri adductam esse, dici non potest quantum hoc nuncio perculsa fuerit civitas uni-

versa. Itaque omnium vota ad exorandam divinam clementiam implorandamque conversa, proinde quasi de communis parentis vita ageretur. Indicta sacerdotibus ab Episcopo oratio pro infirmis est et in aede principe sacrosanctum Christi corpus publicae venerationi expositum. Fraternitates, quas vocant, eo se contulerunt poenitentium habitu. Alii funes e collo suspenderant, alii se flagellis ad sanguinem usque diverberabant, omnes nudis pedibus incedebant, nudis item pedibus ac supplicantis ritu puellae et coronas spineas in capite gestantes processerunt. Susceptum quoque iter est habitaeque supplicationes extra urbem ad templum B. V. tribus distans milliariis, quo divinam atque amantissimam matrem pro carissimi patris valetudine exorarent.

XXV. Haec dum agerentur, ex proxima urbe Fani eius collegii rector Senogalliam advenit, quo decumbenti patri solita caritatis officia praestaret. Adventu rectoris iniecta civitati suspicio est, illum ad eum finem venisse ut inde post obitum Patris ad fanense collegium cadaver asportaret. Haec suspicio adeo hominum animos invasit, ut excitato tumultu clausisque repente tabernis, domus in qua decumbebat Pater ingenti multitudine fuerit circumsessa. Clamare omnes numquam se permissuros tantum sibi bonum eripi ac carissimum pignus auferri. Itaque diu noctuque excubiae habitae sunt. Interea Pater ingravescente morbo morti appropinquabat. Expiato sacramentali confessione animo, nihil cupiebat ardentius quam sacrosancto refici Christi viatico. Sed violentia morbi qui paulo post eum mente deturbavit, effecit ut illud sumere nequaquam posset. Sacro igitur oleo inunctus, defixo in B. Virginis imaginem obtutu, in ipso annorum ac

laborum cursu discessit e vita solemui die Corpori Christi sacra, hora post ortum solis secunda anno MDCCXIII die XV iunii annos natus quadraginta nondum expletos, quorum septem iu apostolico ministerio incredibili divinae gloriae incremeuto ac animarum salute cousumpserat.

XXVI. Quibus honoris significationibus vivum exceperat amantissima civitas, iisdem atque adeo maioribus eumdem mortuum prosecuta est. Nostri qui aderant volebant peragi eius fuuus uulla pompa, et recepto apud societatem more. Reclamatum est ab uuiversa civitate, quae uolle se diceret hauc apud posteritatem uotam subire ut pateretur efferri privato funere virum quem tamquam sanctum venerabatur. Igitur magnificentissima pompa funus celebratum est. Habita primum Corporis Christi, quaudoquidem iu diem illum sacrum mors Patris iucidcrat, supplicatio fuit. Qua absoluta iidem ipsi qui Christi corpus deduxerant, eodem et numero et procedendi ordine defuncti patris cadaver ad aedem principem detulerunt.

XXVII. Praeibant fraternitates omnes, quas religiosae familiae excipiebaut: subsequebatur clerus uuiversus, succedebat feretrum nostrorum humeris elatum stipatumque militibus terceutis, qui evaginatis gladiis affluentem multitudinem arcerent; claudebat totum agmen magistratus uua cum uobilioribus civitatis. Sequenti vero die exsequiae celebratae ac solemuis missa a musicis decantata est adstante capitulo et urbis magistratu, incredibili omnis generis ac loci hominum coucursu. Funebrem oratiouem egregiam sane ac luculentam babuit unus ex patribus sancti Philippi Nerii. Absolutis exsequiis ad mauus ac pedum osculum primores

quique accesserunt. Cadaver denique in arca compositum in sepulchrum ipsum senogalliensium episcoporum illatum est additumque huiusmodi elogium:

D. O. M.

P. PAVLVS . SEGNERVS . SOCIETATIS . IESV
MISSIONARIVS . APOSTOLICVS
QVI VIX . SEPTENNI . SACRARVM . MISSIONVM
MVNERE . SENOGALLIAE . PERACTO
OBIIT . XV . IVNII . MDCCXIII
AETATIS . XXXX
CVIVS . FVNERIS . ACERBITATEM . RECVRRENS . EO . ANNO
AC . DIE . SOLEMNITAS . CORPORIS . CHRISTI
AN . MINVERIT . AN . AVXERIT . NESCIAS

III.

P. IOANNES PETRVS PINAMONTIVS

I. Qui p. Pauli Segneri cognomento senioris vitam legerit, is non magnopere res a Ioanne Petro Pinamontio gestas cognoscere desiderabit. Una enim fere semper fuerunt et quod in sacris missionibus quibus divinam gloriam coniunctis studiis propagarunt actum ab uno narratur, ab altero quoque gestum debet existimari. Quare iis omissis quae cum p. Segnero communia fuerunt, illa tantum quae propria ac singularia p. Pinamontii sunt breviter persequemur.

II. P. Ioannes Petrus Pinamontius piis ac nobilibus parentibus Ioanne Pinamontio et Catharina Campanellia, Pistorii Etruriae urbe natus est, anno ab ortu Christi MDCXXXII die XXVII decembris. Eluxit statim in puero egregia indoles atque ad pietatem proclivis; egregiae indoli singulare adiunctum ingenium effecit ut iam tum sanctum ac doctum evasurum homines coniectarent. Nec vero coniecturam fefellit eventus; utraque enim laude praestitit. Annos

natus XIV vocatus a Deo ad societatem Iesu: ideo vocanti statim obtemperandum duxit et post sublata quae viam obsepiebant impedimenta, sui ac mundi victor ad romanum tyrocinium convolavit; eoque praeter egregias alias animi dotes singularem innocentiam detulit, quam ad exitum usque vitae suae immaculatam servavit.

III. In tyrocinio eius virtus sic enituit ut exemplo aliis praeiret. Confecto tyrocinio et nuncupatis de more votis, rhetoricae primum, tum philosophiae studuit; post haec studia ad tradendam adolescentulis grammaticam missus, quos nactus est discipulos non litteris magis quam pietate informandos curavit. Aliquot in hoc munere consumptis annis Romam evocatus, iussus est theologum audire. Summa animi alacritate magnaque propter excellens ingenium exspectatione omnium eius facultatis ingressus curriculum, non modo illud conficere non potuit, sed haerere ad carceres coactus est. Nam vix duobus in theologiae studio exactis mensibus, acri adeo ac vehementi dolore capitis affligtari coepit, ut de medicorum sententia illi facultati quae non minorem contentionem quam ingenium postulat, nuncium remittere coactus sit. Ea res omnes et praecipue societatis moderatores qui summam in eo spem collocarant maxime perculit. Ictus quoque ipse Pinamontius vehementer tam repentino ac subito casu; sed qua erat animi moderatione divinae providentiae de se sic statuentis consiliis acquievit. Illud unum eius angebat animum, quod theologiae praesidio destitutus minus ad iuvandos proximos quorum caritate flagrabat, idoneus futurus esset. Sed hoc etiam divinae permisit voluntati. Verum hoc contentus sacrificio Deus servum suum quem iam tot populorum saluti destinarat, minime otiari atque in um-

bra delitescere passus est; sed illum alia via *(neque enim viae meae viae vestrae, dicit Dominus)* emisit in lucem hominum in aciemque produxit. Itaque praeter esxpectationem summus evasit theologus et in vinea Domini strenue laboravit. Nam et divina adiuvante gratia et inusitato quodam animi robore sustentante corporis infirmitatem, tantum privato studio in theologia profecit, quantum adhibito quovis excellenti doctore proficere potuisset.

IV. Transegit in ministeriis levioris momenti quinquennium, quo tempore quod nactus est otii, totum ad animi sui cultum ac profectum contulit, quo ad apostolicum munus instructior accederet atque paratior. Ubi se satis collegisse virtutis arbitratus est, consilium suum sacris missionibus iuvandi proximos quod iam diu fovebat superioribus aperuit; quibus et consilium approbantibus et facultatem libentissime impertientibus, apostolicum munus suscepit an. MDCLXV in eoque perstitit ad annum MDCCIII, qui eius vitae ac laborum finis fuit, idemque initium caelestis sempiternaeque quietis. Multos annos una cum p. Paulo Segnero hoc in munere versatus: quo Romam evocato a seque distracto, nihilo secius in incoepto perseveravit.

V. Iam vero quas illi partes sacris in missionibus a p. Segnero impositas diximus, erudiendi nempe docendique populum, quomodo impleverit videamus. Hoc vere dici potest, neminem maiora vel naturae vel doctrinae praesidia ad eam provinciam attulisse. Exstat eius rei ipsius p. Segneri testimonium, qui scribens ad societatis moderatores, *se,* inquit, *verbis assequi non posse, quam egregie in tradendis christianae doctrinae rudimentis cumulateque omnibus p. Pinamontius satisfaciat. Populum pendere ab ore dicentis: sibi*

quidem persuasum esse, neminem reperiri qui hac in re cum p. Pinamontio comparari possit. Quod vero privatim scribebat p. Segnerus, idem de eodem publice profitebatur. Addebat etiam, quidquid ex sacris missionibus fructus colligebatur, id paene omne comiti suó acceptum esse referendnm, qui apposite adeo bene vivendi credendique rationem populo explicabat. Quare pro concione nunquam auditores non monebat suos ut catechismo interessent: rogabat etiam atque etiam, ut si per occupationes tum concioni tum catechismo interesse non possent, concionem omitterent, catechismum vero audiendum curarent. Quod testimonium adeo p. Pinamontio honorificum sanctus vir non amicitiae dedit sed veritati.

VI. Et sane pressus erat in tradendis iis, quae sive ad dogma fidei sive ad praecepta decalogi pertinent: ita summa doctrinae paucis comprebensa verbisque quam aptissimis explicata, facilius a populo et intelligebatur et memoriae mandabatur. Tradita hoc modo doctrinae summa, non sine artificio delabebatur ad ea persequenda quibns auditores de propriis officiis commonefacti, pravos mores corrigerent et virtutem amplecterentur. Stilus erat non quaesitus, sed simplex et rudium auditorum ingenio maxime accommodatus. Captabat ex rebus notissimis similitudines quibus res, de qua agebatur, nota fieret atque perspicua. Hoc orationis genus simplex et nitidum, summa affabilitas oris et modestia mirum in modum commendabant. His de causis eum omnes cupidissime audiebant, docti iuxta atque indocti. In maritima genuensis ditionis ora missiones cum baberet, eius unius audiendi causa bene multi ad XX passuum millia conficere non dubitarunt. Neque vero rustici solum, sed etiam viri nobiles feminaeque

primariae. Fiebat etiam quandoque, ut ingentem concursum nullae sacrae aedes quamtumvis amplissimae caperent. Quare etsi aperto loco, soli, ventis pluviisque obnoxio consistendum esset, nullum tamen horum incommodorum adstantem populum deterrebat, quominus Patrem caelestem doctrinam explicantem stans atque immotus audiret.

VII. Atque hoc quidem modo in munere docendi erudiendique populos se gessit p. Pinamontius, labore utique non mediocri, sed quem fractae eius debilitataeque vires ferrent. Aliud vero onus longe gravissimum subire coactus est, quod paene solus sustinuit, indefessam videlicet in sacramentalibus confessionibus excipiendis assiduitatem. Neque enim p. Segnerus propter aurium incommodum illud, de quo diximus in eius vita, publico in loco poenitentes audiebat, sed tantum privato in cubiculo nonnullorum excipiebat confessiones. Ita onus longe gravissimum, quod ex aequo divisum ferri a duobus tolerabilius poterat, paene totum Pinamontio incubuit. Igitur quamquam dolore capitis assiduo conflictaretur, quindecim et eo amplius tamen horas in sacro tribunali perstabat cognoscendis poenitentium expiandisque conscientiis; ut miraculo habitum fuerit, hominem eo incommodo laborantem tot continenter horas potuisse aures confitentibus praebere. Et sane miraculum intervenit. Nam cum se huic ministerio dedidisset, acriter adeo dolor capitis intendi coepit, ut omnino exsequi se posse hoc munus desperarit. Verum implorata sancti Xaverii ope, quod flagitavit obtinuit; et quidem ita, ut qui scribens aut commentans aliquid per semihorae spatium, sine summa capitis defatigatione sedere ad pluteum vix poterat, in sacro tribunali ad XV horas, ut diximus, et eo amplius perstaret immotus.

VIII. Qnomodo autem hoc ipso in munere se gesserit, operae pretium est cognoscere. Locum in quo confessiones excipiebat, verius obsessum quam stipatum confluentium multitudine dixisses. Ipse autem peramanter excipiebat omnes, patienter audiebat, excitabat ad poenitentiam, erigebat ad spem consequendae veniae, demum saluberrimis impletos monitis et in sancto proposito de nova ineunda vita confirmatos dimittebat. Haec caritas plane eximia ac singularis qua poenitentes excipiebat, non solum ei infinitam hominnm tenuiorum multitndinem attraxit, sed illexit etiam viros nobiles feminasque primarias. In his omittenda non est Maria Lucretia Barberina serenissimi mutinensium Ducis uxor, cni a confessionibus fuit. Modestissimus pater quantum potuit hunc honorem detrectavit, sed instanti nobilissimae feminae coactus est cedere, ea tamen conditione, ut adventante vere, sibi ad sacras missiones cum bona eius gratia liceret exire. Qnas quidem adamavit adeo, nihil ut in vita sacris missionibus habnerit carins, nihil timuerit seu potins exhorruerit magis acceptissimi sibi muneris vacatione.

IX. Itaque in apostolico ministerio ad mortem usque perseveravit. Nam etsi distractus a p. Paulo Segnero, quem Innocentius XII Romam evocavit, nihilo tamen secius perstitit in incoepto. Alio quidem usns est socio; sed nihil eorum, quae iam cum p. Segnero instituerat, immntavit. Septuagenario maior nndis pedibus, sacris in missionibus incessit exemplo p. Segneri. Cum in parochi cuiusdam domo diversaretur, ne ad aliquot quidem passns, quantum videlicet spatii intercedebat ecclesiam inter et parochi domum, ad rem divinam faciendam progredi calceatus snstinuit, sed secum sub alas crepidas deferens, tum demum eas pedibus induxit, cum

ad celebrandum sacrum prodivit. Rogatus quare id faceret, hoc se ab optimo p. Segnero accepisse respondit, a cuius vestigiis, ne latum quidem unguem, quamdiu viveret confirmavit se esse discessurum; tanti apud eum illius viri summi erat auctoritas. Quo responso docemur non temere ea, quae sancti viri experientia non minus edocti quam caelesti lumine illustrati constituerunt, esse immutanda.

X. Eadem igitur, quam a p. Segnero didicerat, methodo religiosissime retenta, multas Italiae regiones ac dioeceses ingenti cum animarum fructu lustravit. Quarum plerasque totas obivit, aliquas autem ex parte peragravit. Anno MDCC Romam ad iubilaei celebritatem venit; neque tamen se continuit, quin vicos et castella identidem adiret et ubique divini verbi semina spargeret. Verum quo facilior ei ad sanctam urbem indulgentiarum consequendarum causa regressus esset, intra agri romani fines se coercuit. Transacto anno piaculari, ad dioecesim bononiensem excolendam contendit. Annis vero MDCCI et MDCCII cum magnam Italiae partem percurrisset innumerabilesque mortales Christo lucratus esset, tandem anno MDCCIII Ortae, nobili oppido ad lacum Larium, plenus meritis laboribusque confectus decessit. Sed priusquam eius obitum describamus, pauca de virtutibus delibemus.

XI. Atque ut a caritate quae virtutum princeps est sumamus exordium, ea huiusmodi fuit quae in tali viro esse debuit. Illud Apostoli propositum habens *videte qualem caritatem dedit nobis Deus*, tantam caritatem pro viribus rependere conatus est. Ardor ille divinus quo aestuabat, facile ex vultu eminebat; indicabatur etiam ex sermone qui fere erat de rebus divinis, aut certe ad Deum aliquo modo spe-

ctautibus. Ex eodem fonte caritatis in Deum profluxit caritas erga proximos, quorum non solum animos omni ope sublevandos snscepit, sed corpora etiam omui officio fovenda curavit. Quamdiu Romae fuit, e tyrocinii domo ubi diversabatur, fere quotidie ad lateranense valetudinarium se contulit. Atque hic quidem nulla erant miuisteria adeo abiecta ac sordida quae eius caritas aversaretur: cuiusmodi illa sunt, verrere pavimentum, lectulos steruere, vestes consuere, eluere sordes, subsecare ungues, purgare immunda vasa aliaque id geuus. Praeterea singulos circuibat lectos et unumquemque ad poeuitentiam adhortatus, multorum excipiebat confessiones ignarosque rerum divinarum erudiebat. Nulla aeris intemperie impediebatur quominus eo se singulis fere diebus conferret. Quadam die flante vehementius borea, qui Romae rigidissimus est, ad socinm couversus: o nos beatos, inquit, si tam pia de causa mortem oppeteremus! Et sane anno MDCLXXXXIV cum ex eodem valetudinario domum rediret, et solito iutensius boreas debaccharetur, morbo correptus gravissime decubuit. Verum diviua bonitate servatus, vix bene discusso morbo, eodem reversus est eadem repetens caritatis officia.

XII. Tautam caritatem mirum in modum rerum divinarum coutemplatio et assiduum oratiouis studium auxit. In ea plnres coutinenter horas perstabat immotus; ex eaque, quasi ex consortio Domiui, ad salutem auimarum ferveutior prodibat. Hiuc etiam summam cordis munditiam cousecutus est. Aliquot aute meuses quam moreretur, conscieutiam suam geuerali confessioue cum apud sacerdotem expiasset, uihilque retinuisset eorum quae sibi miuus aut recte facta aut cogitata videreutur, uihil tameu edere potuit, quo a se graviter

laesam divinam bonitatem iudicare posset, ut sacerdos antam innocentiam satis demirari non potuerit.

XIII. Hanc porro sanctorum virorum exemplo non solum perpetua sensuum ac praecipue oculorum custodia, sed etiam vexatione atque afflictatione corporis tutatus est. Cilicium ad nudam carnem gerebat asperrimum. Primo mane statim ac lectulo consurrexerat, se flagellis ad sanguinem usque caedebat. Saepe etiam interdiu lanienam illam iterabat, prout sese offerebat occasio placandi Numinis eiusque exorandae clementiae. Fere quotidie constrictam ad lumbos catenulam gerebat, ferreis acuminibus introrsus exstantibus, ac lumbos ipsos non sine acerbo doloris sensu fodicantibus. Summam in victu moderationem adhibuit. Quidquid deliciarum aut exquisitioris obsonii forte apponeretur cum mensae communi accumberet, intactum relinquebat. Quae ei muneri bellaria mittebantur, si recusare non poterat, valetudinarii aegrotis dispertienda servabat. Duobus postremis vitae suae annis vino abstinuit omnino, nec iuxta indulgentiam Apostoli ad reficiendum languentem stomachum eo usus est.

XIV. Porro regularis disciplinae cultor eximius fuit. Nihil malebat, quam praesidum voluntate atque arbitrio regi Hoc in obsequio erga superiores, tyronibus ipsis quibuscum vivebat praeivit exemplo. Nullam unquam etiam ingravescente aetate a communibus oneribus vacationem admisit. Regulas omnes quantumvis minimas sanctissime religiosissimeque observavit, easque tamquam formam aliquam vitae recte atque ordine instituendae divinitus acceptam venerabatur. Mirabantur omnes hominem id aetatis, qui multo maiorem anni partem extra claustra vitam agere libito suo consueverat, intra domus septa ita se gerere, perinde quasi num-

quam e claustris pedem extulisset. Documentum insigne iis, qui idem vitae genus sequuntur.

XV. Quod ad reliquas virtutes attinet, nemo illo egentior ac rebus omnibus spoliatior fuit. Idem patiens iniuriarum: calumnias quibus ab invidis hominibus et daemonis causam agentibus, cui intererat sanctum virum mala fama laborare, impetebatur, negligebat; permittebatque Deo innocentiae suae causam defendendam. Et vero Deus causam suscepit, effecitque ut numquam daemonis artes impedimento essent, quominus divinam gloriam amplificare et animarum saluti consulere posset.

XVI. Verum inter omnes quibus excellebat virtutes, praecipue enituit humilitas. De se admodum demisse sentiebat et loquebatur: non modo honorem, sed honoris umbram omnem ac speciem aversabatur. Nihil malebat quam *nesciri ac pro nihilo reputari*. Quidquid in sacris missionibus prospere gestum esset, secundum Deum sociis adscribebat suis. Res ad Dei gloriam praeclare gestae in missione quadam typis vulgatae sunt. In narratione perhonorifica fiebat de p. Paulo Segnero et crebra mentio; de Pinamontio autem nulla, aut certe perexigua. Ex stilo sagaciores coniectarunt scriptum illud ab ipso Pinamontio fuisse exaratum. Res tandem uti erat comperta est verusque auctor detectus, ipse videlicet qui pro sua animi demissione ac modestia, quam socio tribuit, sibi laudem ademit. Solemnem quatuor votorum professionem non emiserat, propterea quia theologiae curriculum valetudine impeditus, uti diximus, vix inchoatum relinquere coactus erat. Hoc tantum abfuit ut celaret, ut etiam prae se ferret, illud addens, se propter infirmitatem ingenii, eo apud societatem loco indignum esse iudicatum.

XVII. Ceterum excellenti fuit ingenio et eximia eruditione, ut praeclara eius opera declarant. Multa scripsit quae manibus hominum teruntur summoque in pretio habentur, propter insignem doctrinam quae ex rebus quae tractavit elucet, et propter eximium quemdam stili nitorem quo usus est. Inter cetera opusculum conscripsit vere aureum et *sacrum Mariae cor inscripsit*. In eo collegit omnia diligentius quae de Virginis laudibus a ss. Patribus evulgata leguntur; multa adiecit quae excogitavit ipse pro sua erga sanctissimam Dei Genitricem eximia plane ac singulari pietate. Hoc volumen magni fit ab omnibus, et prope geminum cum altero de eodem argumento et eiusdem molis a p. Paulo Segnero conscriptum, existimatur. Neque vero hic tacendum est, plurimum adiumenti patri Segnero contulisse Pinamontium ad praeclara illa conficienda volumina quae Segnerus posteritati reliquit: ferunt enim magnam materiae partem suppeditatam a Pinamontio, a Segnero autem recte atque ordine digestam, ornatissima copiosissimaque oratione tractatam. Ita modestissimus vir proximorum saluti prospiciebat et suae obsequebatur humilitati. Hoc ad hominum notitiam non pervenisset, nisi orta inter sanctos viros humilitatis contentione, quod Pinamontius celatum volebat, Segnerus prodidisset.

XVIII. Iam ut eius mortem exsequamur, lustratis non paucis dioecesis novariensis pagis, Ortam devenit. Hic maiore animi contentione quam eius fractae vires sustinere possent, solita exorsus sacrarum missionum munera exsequi, morbo corripitur. Sequenti die cum pedibus non posset insistere, hominum manibus brachiisque sublatus, in templum deferri voluit ubi ab infinita multitudine exspectabatur. Primo vix

loqui posse, deinde vocem sensim intendere, tanto demum ardore spiritus, tanta contentione vocis verba facere, ut adstantium nemini dubium fuerit, quin eos iam e vita emigraturus, quod etiam ex oris pallore colligebant, postremum alloqueretur. Itaque perinde ab omnibus quae dixit excepta sunt, ac novissima morientis amantissimi patris ad carissimos filios verba. Et sane concione absoluta, morbi violentiae cedere coactus est. Nihil praetermissum a sex medicis qui ex proximis vicis advolarunt quo sanitati restitueretur. Sed iam sancti viri ex hac vita migratio adventabat quam ipse multo ante praesenserat. Itaque adhibitis frustra remediis, de eius vita desperatum est. Ubi hoc in vulgus efferri coepit, omnes perinde luctu ac moerore affecti sunt, ac si de communis parentis obitu ageretur. Ipse vero quieto ac tranquillo animo, certissima melioris vitae spe sustentatus, mortem opperiebatur. Libellum conscripserat de ratione se ad extremum agonem confirmandi; eo usus in illo rerum articulo, plurimum inde solatii cepit.

XIX. Inter haec ostentum oppidanis oblatum fuit quod mirum in modum servi Dei opinionem auxit: cubiculum in quo iacebat, paulo ante obitum ingenti circumfusum splendore atque illustratum apparuit. Quae res incredibilem hominum multitudinem attraxit, incenditque cupiditatem videndi servum Dei antequam e vita migraret. Verum qui iacenti assidebant, nequid inde aegroto crearetur incommodi, arcebant a cubiculo multitudinem. Ut id venerabilis senex animadvertit, filios sibi carissimos a conspectu patris minime arcendos ratus, cubiculum omnibus patere voluit. Itaque reclusis valvis, magna repente hominum irruptio facta est. Omnes

lectulo affusi, cum lacrimis morientem patrem intueri, benedictionem exposcere: ipse benignissime exceptos alloqui, peramanter complecti et sublata dextra benedictionem omnibus impertiri. Non defuit qui ab eo peteret, nt eius confessionem exciperet; excepit libentissime Pater et rite confessum, clara et distincta voce formnlam pronuntians, absolvit; tanto devotionis sensu, ut appareret, nihil malle quam ut sacra illa verba quae toties in vita iterarat, sibi morienti novissima essent. Et sane paulo post sacramentis omnibus ex institnto ecclesiae procuratus, placidissime decessit die XXV innii anno MDCCIII cnm ageret aetatis annum unum et septuaginta; qnorum quindecim in domo paterna innocentissime vixit, sex et quinquaginta religiosissime transegit in societate, octo et triginta in apostolico ministerio, summa cum laude et immenso divinae gloriae incremento consumpsit.

XX. Ingens concursus ad demortui cadaver factus est; omnibus non sine admiratione faciem contemplantibus, in qua venustas quaedam effloruit, ut satis vultus ipse gaudinm quo animus in caelo iam frnebatur, indicaret. Hac occasione quid quisque potuit, de capillis ac vestibus sancti viri carpsit secnmque abstulit, non memoriae minus quam religionis causa. Paupercula quoque eius snppellex horae momento distracta est, aliis alind sibi certatim vindicantibus. Ex incisa post XX horas defuncto vena magna sanguinis copia profluxit; facies item iugi sudore manavit, ut novis subinde linteis esset abstergenda: quae quidem signa ab artis medicae peritis praeter natnrae ordinem iudicata sunt. Exsequiarum pompa solemnis fuit, convenientibus ex XXX vicis qui lacum Larium circumstant sacerdotibus et infinita hominum multi-

tudine. Cadaver illatnm est in aedem maximam praecedentibus longo agmine fraternitatibus et clero uuiverso, et Patri insta persoluta: habita qnoque laudatio fnnebris et sancti viri Inculentissima oratione virtntes celebratae.

XXI. His peractis, praecipue ortaui curam in id converterunt ue sacrum pignus ipsis eriperetur; qua de re appellatus uuus ex nostris quem socium Pater secum edn-xerat, respondit, se nihil iucousulto supremo praeside societatis posse statuere. Igitur de communi sententia et XXX vicorum nomine Romam perscriptum est, Romaque rescriptnm et aequis postulationibns satisfactum. Ortani voti compotes effecti, cadaver quod deposnerant, dum Roma litterae perferrentnr, novo monnmeuto compositnm locarnnt ad sinistrum latns sacelli, qnod erat Deiparae sine labe originali conceptae sacrum; tum lege cautum, nequis unqnam in illnd inferretur, et monnmento ellogium additnm. Mnlta prodigia implorata divina ope et servi Dei interventu patrata sunt; eiusque sepulchrum ab indigenis iuxta ac peregrinis religionis causa celebratur.

XXII. Fuit mediocri corporis modo, capillo nigro, facie subfnsca. Nactus erat ingenium excellens; et nisi contentioni dolor capitis paene assiduus obstitisset, multo plura quam habemus, ingenii sui monumenta reliquisset. Multa tamen reliquit quae simul collecta ingeuti volnmine comprehendnntnr. In his eius non minus doctrina quam pietas elucet, quibus rebus fit ut a doctis atqne indoctis summo in pretio habeantur. Natura proclivior erat ad iracundiam, sed divina adinvante gratia, vitiosam hauc auimi sui partem correxit et incredibilem lenitatem consecntus, nbique mansne-

tudinem Iesu Christi prae se tulit: dignus propterea qui tum ob eximias virtutes, tum praesertim ob perfectam apostolicae vitae formam, nostris hominibus idem vitae genus sequentibus ad imitandum proponatur. Ellogium imagini additum est huiusmodi.

P . IOANNES . PETRVS . PINAMONTI

SOC . IESV

XXXVIII . ANNOS . MISSIONARIVS

HVMILITATE . ET . CARITATE . INSIGNIS

OB . XXV . IVN . MDCCIII . AETAT . SVAE . LXXI.

IV.

VEN. P. ANTONIVS BALDINVCCIVS

I. Pater Antonius Baldinuccius loco nobili nascitur Florentiae, anno ab ortu Domini MDCLXV die XIX iunii. Genitores nactus est Philippum Baldinuccium virum ernditum et editis libris celebrem et Catharinam Scholariam singulari pietate feminam. Infans mortis discrimen adiit, quo divina providentia ereptus, ad magna pro Domini gloria et salute animarum gerenda servatus est. Nam cum a famula negligentius gestaretur in sinu, repente decidit in terram tanta membrornm ac capitis praecipue collisione, ut teneri artus comminni omnino debuerint. Sed non gravi inde damno accepto brevi convaluit. Vix septem annos attigit, non obscura futurae sanctitatis indicia edidit, quae et observavit pater, et observata attentius collegit ac mandavit litteris ne eorum memoria intercideret.

II. Vix adolescentiam ingressus de ineundo sacro Praedicatornm ordine cogitavit, motus exemplo fratris qui in eum-

dem ordinem fuerat paulo ante cooptatus. Re cum patre communicata iussus est spiritualia apud nostros exercitia peragere, quo certius divinam voluntatem in re summi momenti exploraret. Paruit pius adolescens libentissime, sed susceptum consilium non mutavit. Peractis exercitiis, cum patrem opperiretur quocum remeare domum debebat, isque ad dictam horam nescio qua de causa non adesset, tempus illud dum pater adventaret orando extraxit. Inter orandum non solum in proposito nutare coepit, verum etiam subito divinae gratiae illapsu aliam sibi mentem iniici, allicique se ad societatem Iesu ac prope sensit impelli. Tam subita mutatione perculsus, et inimici fraudes veritus, decrevit ad aliquot dies exercitia spiritualia protrahere, quo certus de divina fieret voluntate. Verum cum se magis ac magis ad societatem sentiret impelli, de eadem ineunda deliberavit. Domum itaque reversus, rem omnem patri aperuit, qui summopere ei susceptum consilium gratulatus, facultatem quam petebat ineundae societatis libentissime concessit, et eo quidem libentius, quod de sanctimoniali quadam femina prophetiae dono insigni acceperat, filiolum eius Antonium et societatem ingressurum et sanctum evasurum.

III. His certissimis divinae voluntatis indiciis confirmatus adolescens, alacri animo societatem Iesu amplexus est, et Romae tyrocinium posuit in domo sancti Andreae. Nuncupatis de more votis, iis studiis operam dedit quibus excoli nostra iuventus solet; tum docendi munere defunctus, Romam ad theologiam audiendam evocatur, cui facultati cum impensius studet gravem in morbum incidit, ut medici de eius salute prope desperarent. Hoc ubi nunciatum est patri, dici non potest quantum inde moeroris contraxerit, de filii salu-

te non minus quam de vaticinii eventu sollicitus. Sanctimonialem illam feminam, de qua supra mentionem fecimus adit, docet quo loco res sit, preces apud Deum exposcit eiusque sententiam de aegrotantis valetudine exquirit. Illa patrem bono animo esse iubet atque eo morbo filium minime extinctum iri affirmat. Et sane ita fuit. Nam aliquantum morbo recreatus, si non convaluit omnino (usus enim est fere semper haud multum firma valetudine), at saltem potuit inceptum theologiae curriculum conficere.

IV. Hoc confecto et sacerdotio iam initiatus Florentiam rediit, ibique in domo tertiae quam vocamus probationis se totum propriae perfectioni dedidit. Huic cum impensius studet se ad sacras missiones a Deo sensit vocari. Nihil ei poterat accidere optatius, quam vitam suam proximorum saluti impendere, qui iampridem animarum Christo lucrandarum cupiditate flagrabat. Igitur re cum Superioribus communicata, quos semper uti certissimos divinae voluntatis interpretes veneratus est, et facta ab iis potestate, laboriosissimum munus ad Dei gloriam et salutem animarum suscepit, in eoque totos viginti annos usque ad obitum perstitit, ut prope miraculo habitum sit hominem, qui gracili admodum esset corporis habitu et variis identidem conflictaretur doloribus, tantam tamque diuturnam contentionem ferre potuisse.

V. Apostolicum exorsus ministerium illud sibi proposuit, nunquam sibi esse quiescendum, nullam salutis ac valetudinis curam habendam, unice de divina gloria cogitandum. Itaque ab uno ad alium vicum se conferebat, ab uno ad aliud pergebat oppidum, ubique apostolicae suae caritatis vestigia relinquens. Atque hoc modo triginta et amplius dioeceses lustravit immenso labore, non minore proximorum utilitate.

Pedes semper ad locum sacrae missioni destinatum pergebat. Inchoata missione multorum operariorum vires atque animos gerens nunquam cessabat. Idem conciones habere, idem docere populum ea quae ad mores animique salutem pertinent. Atque haec quidem diurno tempore: nocturno autem novas iterum habere conciones ad virorum coetum, seclusis feminis, et plerumque se flagello cruentans ac prope dilanians excitare obstinatiores ad poenitentiam. Praeterea suam quoque ac peculiarem sacerdotibus curam impendere, quos separatim a reliquo populo adloquebatur, quo liberius eos proprii officii commonefaceret. Ad haec ne sacrarum quidem virginum monasteria, siqua erant eo in oppido praeterire, quibus quantum poterat, operam non denegabat suam. Ad extremum invisere aegrotos, ne qui adesse concionibus morbo impediebantur, divini verbi pabulo destituerentur. Atque haec fere erat occupationum series: ita se singulis in missionibus gerebat vir apostolicus non laboribus, non sibi, non vitae parcens, quo multos mortales iuvaret animasque orco ereptas caelo transcriberet.

VI. Et sane apostolici viri missiones ingenti semper cum animorum motu atque insigni emolumento peractae sunt. Hoc vel ex eo coniici potest, quod certatim ad illum audiendum tanto numero populi confluebant, ut quandoque ad triginta hominum millia auditores censerentur. Ex tanta autem multitudine pauci admodum reperiebantur, quos sancti viri sermo vivus et efficax meliores non efficeret. Ipsi facinorosi homines prodibant e silvis, in quibus maleficiorum causa latitabant, ad eumque audiendum accurrebant. Atque hi quidem mansuefacti optimi patris concionibus, ac mansuetudine deliniti, ferocissimum ponebant ingenium et relictis silvis,

Deo bene iuvante, ad bonam frugem revertebantur. Inventi quoque bene multi, qui pecudum magis quam christianorum ritu vitam degentes, interdicto sibi a multis annis omni sacramentorum usu, tamen in semet reversi atque aliam ineuntes vitae rationem, non obscura sincerae conversionis indicia ediderunt. Quid multa? ipsos quoque turcas Christo lucratus est, cum ad Centumcellas in celeberrimo tyrrheni maris portu sacras missiones haberet.

VII. Iam in tollendis inimicitiis, quod praecipuum apostolicorum virorum pacem evangelizantium munus est, prorsus fuit insignis. Saepe uno verbo dissidentes animos conciliavit; quos verbis vincere non poterat, flagellis expugnabat, nec prius a se diverberando abstinebat, quam pacem vel ab invitis extorqueret. Neque vero sola privata dissidia sustulit, sed etiam publica, quae saepe inter ipsa oppida gravissima ferocissimaque gliscebant. Itaque quocumque vir sanctus pergebat, suorum itinerum ac laborum pacem habebat comitem, ut propterea vulgo *pacis angelus* et vocaretur et haberetur.

VIII. Ex his quae diximus de simultatibus, quid de reliquis abusibus ab eo sublatis sentiendum sit facile coniici potest. Nulla erant scandala tam altis defixa radicibus, quae penitus non exstirparet. Itaque ubique mulierum compressa licentia, puellarum coercita inverecundia, blasphemi homines a prava pessimaque consuetudine deterriti. Nec vero vitia tantum, sed vitiorum etiam instrumenta sublata: aleae tesseraeque lusoriae, libelli amatorii aliaque huiusmodi nequitiae incitamenta igni tradita sunt; denique cuiuscumque modi zizania ex agro dominico radicitus exstirpata.

IX. Contra vero boni inducti mores, sacramentorum commendata requentia, sodalitia passim ad fructus perennitatem

instituta, praecipua vero sacerdotibus cultura adhibita, ex quibus populi fere totius christiana pendet disciplina. Quibus rebus obtinuit p. Baldinuccius, ut suarum missionum fructus non ad exiguum tempus quaesitus videri posset, sed ad proximorum utilitatem quam diutissime perduraret. Illud documento sit, quod quidam sacerdos, cum in oppido nescio quo, post diuturnam ab eodem patris absentiam confessiones exciperet affirmavit, se nempe ex trecentis quos adventante Paschate peccata sibi confitentes audierat, ne unum quidem lethali culpa contaminatum deprehendisse. Atque haec quidem de laboribus quos cum sacris missionibus distinebatur, gravissimos tulit, deque eorumdem laborum fructu quem percepit uberrimum, dicta sint satis.

X. Cum vero inter nostros atque in collegiis versabatur, alius quidem vitae tenor, sed non minus laboriosus. Domicilium fere stabile habuit in residentia tusculana. Hic in angustissima cella habitavit, qua in eligenda praeter studium paupertatis, duo praesertim commoda consequutus est, alterum quod erat contigua templo, unde fiebat ut ad orandum alliceretur: alterum quod in proximum forum prospectum habebat, unde item fiebat ut facile de ipsa via ab eius operam exquirentibus, nocturno praesertim tempore evocari posset. His commodis accessit tertium, quod si quae rixae ac iurgia uti fit in vicino foro orirentur, promptior ad ea comprimenda dabatur accursus. Et sane vix rixantium voces clamoresque patris aures percellebant, advolabat statim iurgantesque componebat; atque hoc pacto multa iurgia ante sedata sunt, quam in caedem ac sanguinem erumperent. Extra cellam nullibi magis erat assiduus, quam in sacro poenitentiae tribunali.

XI. Hic residebat quotidie, ut concurrentibus nunquam non praesto esset. Ceterum pedem domo non extulit, nisi caritas aut ad invisendos aegrotos, aut ad confirmandos extremo in agone morientes foras hominem prodire cogeret, alienis unice commodis ac proximorum saluti inservientem. Et domi quidem praeter assiduitatem in excipiendis confessionibus duplex rexit sodalitium, primum quod ipsemet Tusculi instituit, alterum quod eodem in domicilio iam ante coaluerat.

XII. Praeter has quas diximus occupationes perinde quasi toto otiaretur anno, aliam sibi sumpsit et laboris quidem immodici. Nam adventantibus quadragesimalibus feriis ad habendas singulis diebus conciones in minoribus oppidis se conferebat. Tot porro conciones conscripsit, quot tribus ut loquimur habendis quadragesimalibus sufficere possent, ut omnes mirarentur tantum ei potuisse suppetere temporis et otii, quantum necesse erat impendi in operosissima lucubratione. Cum autem sacro illo tempore concionabatur, haec fere erat temporis dimensio et rerum agendarum distributio. Summo mane concionem habebat tenuiorum hominum atque agricolarum causa, quo maturius egredi ad opus possent. Paullo ante meridiem nova iterum concio, cui interesse cives solebant. A prandio autem pueris puellisque christianae fidei rudimenta tradebat. Feria vero sexta paullo ante solis occasum disserebat de passione Domini; tum feminis abire iussis, solos iterum viros alloquebatur, distributisque flagellis ferventissima concione eosdem ad poenitentiam excitabat. Quod supererat temporis, cibi, somni, quietis immemor totum audiendis insumebat confessionibus. Quae quidem vitae ratio uti non

multum aberat ab ea quam tenere in missionibus consueverat, ita fructu prope pari compensabatur.

XIII. Talis igitur cum esset p. Antonins Baldinuccius, qualem hactenus descripsimus, longe lateque fama eius sanctitatis diffusa est, ut potens opere ac sermone summa apud omnes valeret auctoritate, et quidquid cuperet quod ad divinam gloriam et ad salutem conduceret animarum (nihil enim unquam concupivit aliud) obtineret. Hanc opinionem sanctitatis quae summa erat, auxit quoqne Deus ac singularibus prodigiis confirmavit. Multa de eo narrantur supra naturae modum, quae ego hic strictim ac cursim perseqnar. Qui plura velit, adeat eius vitam luculentissima oratione a p. Francisco Maria Gallnzio insignis sanctitatis viro conscriptam. Inter cetera illud non est silendum, quod et omnium voce celebratum fuit et celebratur adhuc, et multnm ad servi Dei gloriam, plurimum vero contulit ad salutem animarum. Concionabatur verno tempore ad confertissimnm populum ingenti protectus ulmo, et densis convestita frondibus; et cum multa ad ostendendam incredibilem eorum multitudinem qui morte obita sempiternum cruciandi in tartari barathrum detruduntur, graviter vehementerque dixisset, divino repente afflatus spiritu: *putatote,* inquit, *tot animas nunc in inferos prolabi, quot modo hac ex arbore folia decidunt.* Dicto citius folia omnia deciderunt, et spoliata ac nudata arbor horrendum toti populo exhibuit spectaculum. Hoc autem eo admirabilius visum est, quod et in reliquis arboribus quibus locus erat consitus, folia manserunt omnia et tale tantumque prodigium illo patratum est anni tempore, quo folia recens nata ramis tenacius haerent, nec ita facile nlla aut ventorum, aut tempestatis vi evelluntur.

XIV. Velitris cum sacras missiones haberet, Petrus quidam cui cognomen Herba, nna cum filio urbe egressi obvinm habuere pastorem, cui cum multa de p. Antonio Velitris tunc agente commemorassent, qui hoc fieri potest, inquit pastor qui patrem noverat, si egomet nunc ab eodem digressus apud socios concionantem reliqui? Altercantibus nti fit, visum est ad litem dirimendam regredi eodem puncto temporis, ac vestigio in urbem, unaque pastorem deducere, qui ut patrem in ecclesia confessiones excipientem conspexit, haesit attonitus miraculo, nec alio modo composita lis fuit, quam quod eodem tempore et in nrbe et in agro inusitato genere prodigii geminatus versaretur.

XV. Prodigiis etiam servi sui famam non semel asseruit Deus. Nescio quis malo utique daemone instigatus multa de eo de eiusque missionibus obloquebatur. Supplicationum praecipue qnae haberi solent pompam carpebat: res huiusmodi ad popularem captandam auram inventas esse, nec nisi ad inanem qnamdam speciem et vanam ostentationem valere; imagines vero quae animas aeternis cruciatibus addictas exhibent ostendi populo, vana esse simplicium ac rudium hominum terriculamenta. Haec aliaque hniusmodi homo improbus iactabat in sanctum virum. Talia iactantem non tulit Deus, et repentino apoplexiae ictu perculsum, merita affecit poena sic nt infelix simul et vivendi et obloquendi finem faceret.

XIV. Grandines vero et procellas paene in sua habere videbatur potestate, quae quidem saepe eorum agros populatae snnt, qui potiorem agrorum quam animi culturam habentes, sacras missiones excipere renuerunt. Contra vero eorum inusitata fecunditate locupletati sunt agri, qui se illi libenter sacris missionibns excolendos praebuere. Hoc cnm saepe ac-

cidisset, ac iam plane constaret adventum sancti viri camporum ubertatem frugumque copiam afferre, vulgo a ruricolis excipiebatur libentissime, quocumque tandem anni tempore ad illos veniret, ne eo quidem excepto quo maxime operariorum manus atque assiduitatem, arva flagitant ac requirunt.

XVII. Prophetiae etiam spiritu afflatus fuit, et multa praedixit quae eventu suo non caruerunt. Nec vero curationum ei virtus defuit, multique a certissimo mortis discrimine atque adeo a lethi ipsius faucibus erepti sunt. Quid plura? in daemones etiam mirum exercuit imperium, ab obsessisque corporibus saepius abire iussit. Eiiciebat daemonem a nescio quo, cum nequam spiritus ira percitus se duos in caelo sibi maxime adversarios habere exclamavit, Michaelem archangelum, et conditorem societatis; coactus huius nomen edere, multa prius recusavit, tum demum horrendum in modum infrendens *sanctum Ignatium*, inquit, editoque ut iussus fuerat Ignatii nomine confestim abiit.

XVIII. Atque haec de prodigiis dicta sint satis: nunc aliqua de eius virtutibus perstringamus. Flagrantissima in primis fuit in Deum caritate. Crebro illa usurpabat: *quid mihi est in caelo et a te quid volui super terram!* unum nempe Deum atque unicum cupere se ac velle declarans. Illa etiam sanctissimi parentis verba saepius iterabat: *amorem tui solum cum gratia tua mihi dones et dives sum satis.* Hinc zelus ille inexplebilis et cupiditas salvandarum animarum; hinc assiduum orandi studium, cui totum illud tempus quod reliquis supererat occupationibus impendebat. Orationis vero tempore, animo a rebus humanis evocato, in Deo unice conquiescebat. Hoc ipse orandi habitus indicabat; haerebat immotus, facies divino igne succensa flagrabat, ro-

rabant oculis ubertim defluentes lacrimae, crebri anhelitus atque suspiria. In itineribus fere socios anteibat, quo remotis arbitris coram Deo et cum Deo ambularet. Nactus solitudinem et ad divinum amorem camporum amoenitate invitatus, amori ipsi laxabat habenas et Deum incensissimis adspirationibus compellabat. In ipsis congressibus hominum nihil nisi de Deo aut de salute animarum loquebatur; quod si alius inferretur sermo, aut statim loquendi finem faciebat, aut si aliquid intersereret, aliud cogitare aliud loqui satis apparebat. Tanta denique aestuavit in Deum caritate, ut se non laboribus, quos ceteroquin immodicos tulit confici, sed animi aegritudine quam ex offensis in Deum capiebat, absumi confessus fuerit.

XIX. Post Deum divinam parentem impensissime dilexit. Eius cultum sacris in missionibus mirifice propagavit. Ad eum finem imaginem Deiparae puerulum Iesum in sinu gestantis, eo oris habitu qui peccatores in spem consequendae veniae erigeret, coloribus exprimendam curavit. Usus est opera pictoris admodum vulgaris, sed praeter exspectationem nec sine prodigio opus evasit excellens. Imaginem hanc suis in missionibus circumtulit, hanc semper habuit secum et itinerum comitem et levamentum laborum. Serico locatam conopeo magna pompa publicae exponebat venerationi. Pompam augebant plurimae circumquaque collucentes faces; fiduciam vero ac spem tabellae votivae argenteae, quae pendebant magno numero, excitabant. Pater ipse testatus est nullam obstinatioribus peccatorum cordibus ad ea expugnanda vehementiorem machinam a se fuisse admotam, atque ita quidem, ut qui non adhortationibus, non minis, non ullo pacto emolliri ad poenitentiam poterant, solo illius sanctissimae

imaginis obiectu adspectuque commoverentur. Vix enim in sanctissimae parentis effigiem nequissimi homines obtutum defigebant, lacrimas tenere non poterant. Hoc adeo usitatum erat, ut idem ipse affirmare non dubitarit, si lacrimae quas sacrae illius imaginis adspectus exciverat, in unum locum confluxissent, lacum effici potuisse. Sic ille incredibilem lacrimarum vim declarabat. Deiparae igitur post Deum quidquid sacris in missionibus prospere atque e sententia gerebatur, referebat acceptum. Nunc haec sacra imago colitur in aede nostra tusculana magnifico constructo sacello, et eleganti e marmore ad eam excipiendam excitata ara. Aurea quoque corona a capitulo basilicae vaticanae donata insignitur; qui honos celebrioribus tantum Deiparae Virginis imaginibus, et aut prodigiorum fama aut vetustatis commendatione illustrioribus habetur. Hic autem honos sacrae illi imagini non multo ante quam pater obiret, quod unice habebat in votis et ardentissime concupiverat, decretus est.

XX. Iam reliquae virtutes huius sancti viri tot ac tantae sunt ut paucis complecti non possint. Animi demissione fuit singulari. Honores qui illi vulgo habebantur, si poterat declinabat, si secus excipiebat invitus. Nobilium oppidorum lucem splendoremque defugit, contentus unice ignobilia obire oppida, vicos et castella, atque operam suam in rudibus infimique generis hominibus erudiendis ponere. Liburni, quod est oppidum et portus Etruriae celeberrimus ad tyrrhenum mare, cum feriis quadragesimalibus sacras conciones haberet, re male gesta (desertus enim prope ab auditoribus fuit in urbe ceteroquin frequentissima) laetatus est, ut nemo magis. Hoc non celavit modo sed etiam prae se tulit, atque hac in posterum excusatione usus est quo splendidissimorum oppi-

dorum frequentiam declinaret, illud affirmans se tantum tenuioribus ac infimae sortis hominibus idoneum esse et vicis solum castellisque obeundis natum.

XXI. Hoc humilitatis studium paupertatis amore cumulavit, quam veluti parentem suavissimam, ut a s. Ignatio suis in constitutionibus praecipitur, dilexit. Pedibus nudis in sacras expeditiones processit, detrita tunica, nullis sarcinis, si sacram supellectilem quam missionum usus requirit, excipias. Cubiculum in quo Tusculi habitavit, nudum, humile, angustum, paupertatis ipsius domicilium videri poterat. Quod vero obedientiam attinet, in hac quoque virtute excelluit. Superiores observabat, nec quidquam unquam extra praescriptum eorum quorum se arbitrio permiserat, aut egit aut aggressus est.

XXII. Afflictationes vero corporis praeter eas, quae a sacro suo ministerio separari non poterant, multas ultro ac sponte suscepit, utpote qui carni bellum prope exitiale indixerat, ne adversus spiritum rebellaret. Postremo patientia fuit tanta, quanta esse decuit apostolicum virum, qui fere semper inter rudes ac indociles populos versatus est, quorum et ferenda fuit asperitas et mansuetudine lenienda ferocitas. Eius patientiae meritum non homines tantum auxerunt, sed ipsi daemones cumularunt. Constat enim saepe malos spiritus ira in eum a quo tot sibi eripi praedas ferebant aegerrime, exarsisse, et terrae afflictum miserandum in modum fustibus verberasse. Saepe etiam, quod multo maiorem sancto viro molestiam creabat, cum de superiore loco verba faceret, concionem terriculamentis atque praestigiis dissipare conati sunt, sed irrito successu. Quo enim plus illi his aliisque veluti offendiculis divinae gloriae cursum remorari cona-

bantur, tanto ille vehementius ad eam ubique sanctissimi parentis exemplo propagandam incumbebat.

XXIII. His aliisque virtutibus egregie ornatus cum esset, et tot tantisque quot demonstravimus pro salute animarum defunctus laboribus, tandem ad vitae suae exitum perductus est, quem et ipse multo ante viderat et sibi instare diserte praedixerat. Etenim hoc anno qui postremus ei fuit, multo maturius solito egressus Tusculo, se non ad sacras missiones habendas sed ad mortem obeundam pergere affirmavit. Igitur cum in pago quodam Latii, cui Pophio nomen est, missionum causa versaretur, morbo corripitur, quo adhibita statim medicorum opera ita relevari visus est, ut omnes ei et medici ipsi recuperatam valetudinem gratularentur. Verum ipse qui se eo morbo extinctum iri certo sciret, medicis fidem non habuit, sed impensius se ad extremum diem pie sancteque obeundum parare studuit. Generali confessione apud patrem nostrae societatis, qui statim atque de eius morbo nunciatum fuerat Tusculo advenerat, conscientiam expiavit suam, seu verius innocentiam prodidit. Ut enim penitiores animi sui latebras scrutatus fuerit quo peccata omnia sacerdoti aperiret, nullam reperire noxam potuit quae quidem lethalis esset.

XXIV. Peracta confessione et ex improviso latentis morbi vi erumpente, sacrosancto Christi viatico refici voluit, quod singulari devotionis affectu suscepit. Tum ut sacra illa Deiparae effigies de qua supra diximus, sibi in cubiculum deferretur postulavit; nihil enim optabat magis quam in conspectu dulcissimae parentis emori, atque adeo in castissimo eius sinu extremum spiritum reddere. Delatam effigiem perinde excepit, ac si divina ipsamet parens aegrotantis cubiculum ingressa advenisset. Defixo in sacram imaginem obtutu,

eamque suavissimis verbis compellans, *monstra te esse matrem* iterabat; tum converso sermone ad puerum Iesum quem gerebat in sinu, o *bone Iesu,* exclamabat, *dulcis amor meus, ego morior pro te.* His aliisque similibus alloquiis agonem solabatur et Deo ac divinae Matri commendabat suum, donec sacro oleo inunctus, cum diu multumque cum morte luctatus esset, cum admirabilis praesertim patientiae in gravissimis cruciatibus documenta edidisset, intermortuis labiis suavissima Iesu et Mariae nomina saepius repetens, incredibili omnium qui aderant moerore vivere desiit die VII novembris anno MDCCXVII annos natus tres et quinquaginta, quorum triginta quinque sanctissime in societate exegerat, atque ex his viginti in sacro missionum ministerio impenderat.

XXV. Funus pro loci modo magnifice celebratum est, toto illud prosequente pago, et vicinis oppidanis ad idem honestandum turmatim confluentibus. Cadaver expositum in templo patrum s. Francisci quos reformatos vocant, omnium lacrimas clamoresque excivit, templo ipso gemitibus ac suspiriis personante. Iustis ecclesiae ritu persolutis, pictores plastaeque qui Roma advenerant, imaginem expressere. Dissecto cadavere cor mirae magnitudinis inventum est, quod in vitreo vase separatim a reliquo corpore adservandum seposuerunt. Corpus vero in eodem templo s. Francisci arca inclusum humatum est, qua post sex menses reclusa quo corpus ipsum in plumbeam inferretur, prorsum integrum illibatumque repertum fuit.

XXVI. Multa ab eo post obitum patrata miracula celebrantur, quae nos omittimus, et sedis apostolicae iudicio expendenda relinquimus. Speramus enim fore, ut probatis vir-

tutibus atque prodigiis, viro apostolico et de divina gloria ac salute animarum insigniter merito sanctorum honores decernantur. Eius imago ad vivum aeri incisa circumfertur cum ellogio quod hic subiicimus.

VENERABILIS . DEI . SERVVS

P . ANTONIVS . BALDINVCCI . SOC . IESV

MISSIONARIVS .

HVMILITATE . CARITATE . ET . CVLTV . IN . DEIPARAM . INSIGNIS

NATVS . FLORENTIAE . XIX . IVNII . MDCLXV

SOCIETATEM . INGRESSVS . ROMAE . XXII . APRIL . MDCLXXXI

OBIIT . POPHIS

VII . NOVEMBRIS . MDCCXVII.

V.

P. ANTONIVS THOMASINVS

I. P. Antonius Thomasinus nobili genere natus est Tipherni, quae est urbs ditionis pontificiae in Vmbria, anno ab ortu Christi MDCXXXII die XX septembris. Patrem habuit Thomam Thomasinum et matrem Victoriam Fondaciam. Ferunt gravidam matrem cum in suburbanum forte divertisset partus dolore ex improviso correptam in stabulum secessisse, ibique partum enixam esse: quod ab omnibus tanquam bonum ac faustum omen habitum est. Aliis quoque indiciis Deus futuram Antonii sanctitatem declaravit. Nam quod de s. Nicolao bariensi legitur, feria sexta lacte abstinuit omnino, quod postea ieiunium toto vitae suae tempore religiosissime servavit; nihil enim aliud eo die ad cibum ac potum adhibuit praeter panem et aquam.

II. Ut primum per aetatem licuit patribus societatis in disciplinam datus est, ad eorumque scholas ventitavit: tum a patre Romam missus inter collegii quod vocant Fuccioli, alu-

annos a p. Vincentio Carafa adlectus est. Sic eo in convictu se gessit ut post aliquot annos in societatem recipi meruerit. Itaque die XXIV maii MDCLIII ad tyrocinii domum se contulit, ubi se totum religiosae perfectionis studio dedidit. Peracto tyrocinio, cum iam ante ingressum in societatem philosophiae studuisset, statim eius opera in erudiendis adolescentibus adhibita fuit. Docuit grammaticam Tibure et Romae; quo defunctus munere et theologiam auspicatus, eius cursum non sine ingenii ac doctrinae laude confecit.

III. Iam pridem animarum saluti se totum devoverat, certus quantum quidem in se esset, totum vitae suae tempus in sanctissimo opere insumendi. Quod optarat feliciter consequutus est. Vix enim confecto theologico cursu et sacerdos iam rite consecratus, a moderatoribus sacris missionibus destinatur. Primam omnium dioecesim aretinam excolendam accepit, in eaque veluti apostolici ministerii rudimenta posuit. Tum Fabrianum concessit, apostolico ac ferventissimo nostrae societatis viro qui ea in urbe versabatur, comes datus. Hinc evocatus Florentiam, vix tribus tertiae probationis mensibus confectis, iterum in aciem prodivit una cum p. Felice Barnabeo, qui maritimam Senarum oram felici successu et incredibili animarum proventu excurrebat.

IV. Inter haec solemnem quatuor votorum professionem emisit anno MDCLXVII die XV augusti. Verum cum iam nihil nisi sacras missiones cogitaret, praeter exspectationem Senis consistere iussus, primum humaniores litteras ea in urbe docuit; tum in formandis bonis moribus ac pietate nobilibus collegii Ptolemaeii convictoribus addictus operam impendit. In utroque munere mire probatus egregie tum nostris tum civitati satisfecit, et praesertim nobilissimis feminis Olimpiae

et Virgiuiae Ghisiis, quae eum sibi auimi moderatorem adlegeraut. Sed has ob causas et praecipue ob susceptum earum femiuarum regimen, parum abfuit quin omnino a sacris missionibus quas uuice spectabat avocaretur. Neque vero non hoc tempore breves aliquot in proximam maritimam oram teutavit excursus, nou miuore animi sui voluptate quam proximorum utilitate. Sed tandem aliquando Deo adiuvante omnibus solutus viuculis pedicisque expeditus libere exsultare potuit, et quod ardentissime coucupierat est cousequutus.

V. Facta igitur a moderatoribus potestate et acceptis apostolici muneris iusignibus gratiisque Deo actis, exsiliens ac gestiens periude Senis discessit, ac si a tetro ac tenebricoso carcere eductus atque iu libertatem viudicatus fuisset. Magna animi alacritate ac fervore munus exorsus sacrum, in eo ad extremam usque atque adeo decrepitam perstitit seuectutem, illud solitus a Deo quotidianis precibus efflagitare ut in suscepto ministerio vitam absolveret. Saepius affirmabat se tria tautum a Deo exposcere: *Deum* nempe *ipsum, sacras missiones et salutem animarum*: se his tribus coutentum esse, nec praeterea quidquam aliud cupere ac desiderare. Quare nihil ei gratius accidere poterat quam ut crebris litteris ab episcopis eius opera exposceretur; quod cum crebro fieret nihil unquam causatus est, quin statim eo quo vocabatur se couferret, nunquam laetior atque hilarior quam cum uovi labores pro diviua gloria ac salute animarum suscipiendi proponebantur.

VI. Ac primo quidem cum socio in campum prodire cousuevit, more iam apud nostros recepto, cui etsi quautum poterat parceret, eiusque valetudinis curam miuime negligeret, tamen eo brevi res redacta est, ut nemo inveuiretur qui

tantam contentionem ferre se posse confideret. Itaque sibi fratrem ex adintoribus socium dari postulavit; verum cum ne hic quidem sibi ubique praesto esse posset, ad extremum impetrata a moderatoribns venia, unum aliquem e saecularibus sacerdotem secum edncere instituit. Quem morem postea retinuit semper, illud praecipue spectans, non iam habere secum consortem muneris, sed actionum suarum testem.

VII. Ex hoc autem colligi potest, quantos quamque immensos pro divina gloria labores vir hic apostolicns tolerarit, qui multorum vires fregit, ac solus tot annos onus longe gravissimum portavit. Nulla pars anni labore vacabat. Labor laborem excipiebat. Nulla quies, otium nullnm, nulla cessatio. Ab uno ad alium vicum properabat, ab una ad aliam festinabat urbem. Nulla unqnam tanta fuit caeli intemperies, quae eum ab itinere deterruerit. Pluvias, nives, procellas, ventorum vim, fervorem aestatis algoremque hyemis atque omnia contempsit semper: illud usurpans, qui harum rerum rationem habendam duceret apostolico muneri non esse idoneum. Feriis quadragesimalibus, quibus non in urbibus modo, sed in vicis atque castellis divini verbi pabulum satis large populo ministratur, quo quidem tempore in tanta concionatorum copia otium ei aliquod dari atque concedi videbatur, nnmquam tamen quievit nec tempus sibi illud ad otium datum atque concessum unquam existimavit. Quare pluribus in urbibus quadragesimali tempore conciones habuit non sine ingenti animarnm fructu. Quod supererat a concionibus tempus totnm confessionibus excipiendis impendebat. Velitris cum esset quamquam repente febri correptus, non eo tamen die a concionando abstinere voluit, sed more solito concionem

habuit; qua absoluta, quod amicis eum a concionando dehortantibus ante praedixerat, convaluit.

VIII. Sed ut de sacris eius missionibus paullo accuratius disseramus, in iis habendis non eamdem semper methodum tenuit, sed pro loco ac tempore, quam magis e re ac divina gloria iudicavit, secutus est. Simili divinae gloriae studio non habuit definitum aliquod in uno separatim oppido stationis tempus, sed in eo tamdiu perstabat quamdiu res ac necessitas postularent. Ubi vero stationem fixerat, conciones habebat quotidie, quotidie summa christianae doctrinae capita singulos edocebat, eadem saepius inculcabat, singulorum audiebat confessiones, atque ita vico toto exculto ac probe subacto ad alium vicum progrediebatur. Atque hoc modo totam maritimam Senarum oram, quam longe lateque pertinet, peragravit. Hoc item modo Clusentinum et Alpes et regionem quam Arsenatam vocant, saltuosam et asperam obivit, singula lustrans castella vicosque singulos adiens, quorum plerique abditi in silvis aut inaccessi summis in rupibus quemcumque deterruissent, qui par animi robur et divinae gloriae studium non attulisset. Ad hoc accedebat aliud incommodum longe gravissimum, quod aestivo praesertim tempore ora Senarum maritima sine vitae discrimine adiri non potest. Hoc autem discrimen vir apostolicus numquam non contempsit, nihil sibi optatius evenire posse existimans quam si tam pia ac iusta de causa mortem oppetere contigisset.

IX. Iam vero quantum quamque copiosum et uberem fructum ex sacris missionibus collegerit vir hic apostolicus, non est huius nostrae brevitatis singillatim persequi atque exponere. Illud universim dici potest, messem plerumque respondisse culturae, quae cum talis esset qualem supra de-

monstravimus, non poterat non magnos proventns afferre. Incredibile enim dictn est quantum sancti viri ad salutem animarum industria illa indefessa conferret, qua non solum singulis oppidis, sed singulis prope oppidanis operam suam impendebat. Neque enim satis habebat omnes generatim erudire, sed ab nnoquoque eorum quae tradebantur rationem exquirebat. Eadem semel, iterum, tertio inculcabat, nec ante quemqnam dimittebat qnam probe edoctus esset ea quae ad animi salutem pertinent. Simili modo se gerebat in excipiendis singulorum confessionibus, nihil eorum praetermittens, quae quibusqne accommodata ad excitandam veram sinceramque peccatorum contritionem valerent. Hac exquisitissima usus diligentia, fructnm non solnm percepit maximum sed etiam, quod capnt est, enmdem perennavit. Itaque cum ex itinere vicos a se ante aliqnot annos excnltos adiret, non sine magno animi sui gaudio et accolas probe eruditos in christianae fidei dogmatis, et mores ad omnem christianam moderationem exactos compositosque invenit: uno verbo tales, quales ipse fingendos formandosque curaverat. Quod cum illi saepius accidisset, sna ipse edoctus experientia animum numqnam induxit nt quam susceperat stationariae, ut ita dicam, missionis methodum commutaret.

X. Neque vero, quamquam p. Thomasini missiones non mnltum strepitus ac fragoris haberent, non insignes peccatores excitarunt ad poenitentiam. Nescio qnis eo nequitiae processerat, ut non modo medicinam omnem respueret sed phreneticorum more in medicum ipsum insaniret. Itaque maledictis atqne omni probrorum genere sanctum virnm coepit impetere; nec vero ipsum solum sed societatis institutum pessimis modis proscindere ac calumniari. Hic igitur subito oppressus

morbo et in summum vitae discrimen adductus, praeter exspectationem patrem evocat in eoque spem omnem suam secundum Deum se collocare affirmat. Quae iecerat in eum ac totam societatem maledicta damnat, tanta demum contritione confessionem suam peragit, quam ante annos triginta non obierat, ut cum bona spe impetratae a Deo veniae et consequendae salutis aeternae decesserit.

XI. Alium quoque horum e genere hominem, non solum Deo sed societati cui erat infensissimus, amicum reddidit p. Thomasinus. Iuvenis erat quidam nobili stirpe et magna apud principem virum gratia. Quo erat erga societatem odio capitali, eius nomen maledictis ac calumniis omnibus quae ab impotentis animi acerbitate suggerebantur, incessere non dubitabat. Incidit, Deo sic disponente, in p. Thomasinum, cuius caritate ac patientia ita delinitus est, ut aegre admodum contineri potuerit quin coram immensa populi multitudine maledicta eiuraret sua. Hoc facere prohibitus, domi patrem convenit eiusque pedibus provolutus magno cum gemitu veniam ab eo petiit, quam quidem se ab universa societate, si adesset, coram petiturum fuisse affirmavit. Tradidit insuper patri proscindendum flammisque abolendum pestiferum quemdam libellum maledictis in societatem refertissimum, unde odium illud hauserat quod tanto cum animi sui damno et audientium scandalo effuderat.

XII. Cum in urbe quadam Vmbriae sacras magna populi frequentia missiones haberet, unus adfuit qui praeterquamquod concubinae laqueo constrictus tenebatur, se diabolo devoverat. Sancti viri concionibus homo pessimus ad poenitentiam excitatus, sanctum virum domi convenit et multis cum lacrimis peccata confessus devotionem illam suam exsecratus

est. Accidit autem non multo post, ut lethali morbo correptus decumberet. Aderat aegrotanti continuo pater ne in summo discrimine miserum desereret, abigeretque malum daemonem, si forte ius suum repetiturus accederet; et vero accessit minitabundus, sed frustra: coactus discedere et praedam quam spe devoraverat, relinquere. Abscedente daemone, nescio quo irrepens pacto malo daemone peior mulier, quacum pravam habuerat consuetudinem successit, multis lacrimis se desertam conquerens. Haec quoque ab ipso constanter eiecta fuit. His defunctus periculis, praeter exspectationem morbi vi remittente convaluit, et memor accepti beneficii reliquum vitae suae tempus in divina exoranda clementia placandaque iustitia consumpsit.

XIII. In dioecesi collensi meretrix fuit nequitia sua ac improbitate insignis. Hanc cum forte Patris concionibus adesset, tantus divinae iustitiae timor perculit, ut repente e turba prosiliens peccata sua non flere solum ac detestari coeperit, sed eadem adstante infinita populi multitudine, palam confiteri non erubuerit. Deo reconciliata longe aliam vitae rationem iniit. Non solum non redivit ad vomitum, nec se pristinis unquam sordibus inquinavit, sed adeo puriter vitam instituit, ut virginum ipsarum castimoniam aemulari studuerit. Eius postea confessiones excipiens p. Thomasinus tantam innocentiam animique candorem satis demirari non poterat, praesertim in femina quae tot annos in foedissimis sordibus miserandum in modum iacuisset.

XIV. In placandis inimicorum animis tollendisque dissidiis, quod est aliud emolumenti genus quod percipi ex sacris missionibus solet, insignis ac plane singularis exstitit p. Thomasini felicitas. E serat capitale odium inter duos, nec in-

terposita principum virorum opera restingui poterat: illud nullo negotio restinxit pater Thomasinus, et electus a dissidentibus arbiter omne dissidium sustulit et utriusque animos firma stabilique pace coniunxit. Graviter quidam fuste percussus in omnem perdendi percussoris occasionem imminebat, et quo vehementius ad vindictam incitaretur, fustem ipsum omni studio quaesitum apud se retinebat. Ubi hoc rescivit Pater, statim hominem adiit, iratum demulsit, caritate ac mansuetudine sua pervicit adeo, ut et inimico conciliarit, et fustem ipsum acceptae iniuriae monumentum atque incitamentum odii abstulerit. Concionem de pace inimicis exhibenda cum haberet ad populum, nescio quis repente profugit, veritus ne sancti viri oratione commotus ad pacem compelleretur. Sensit fugam Pater et causam non inani coniectura assequutus, absoluta concione ut erat totus sudore diffluens, hominem domi abditum convenit, blandis appellat verbis, obtestatur, obsecrat. Quid multa? pacem extorquet non solum, sed hominem ad concionem quae nondum dilapsa erat retrahit, et coram populo inimico conciliat. Mutui amplexus, lacrimae ubertim fusae conciliatae pacis indicium minime dubium fuerunt.

XV. Distractus erat clerus in quadam Etruriae urbe in factiones duas. Saeviebant utrinque animi prope ad internecionem: populi autem scandalum huiusmodi consequebatur, quod coniectare licet. Omnem lapidem frustra moverat episcopus, ut tam exitiale dissidium tolleret sed nullae pacis conditiones audiebantur, imo pacis ipsius nomen efferati animi exhorrebant. Unum in uno p. Thomasino huic malo remedium constituitur, quod si frustra fuisset adhibitum, actum esse de salute dissidentium ac conclamatum vulgo

pronuntiabant. Itaque evocatur Pater: summo concursu habentur missiones, pari commotione populi; nulla vero cleri cuius praesertim gratia illa missio habebatur. Ad extremum habita a Patre concio de pace fuit: hanc tanta tamque inusitata populi animorum concitatio consequuta est, ut perturbatis ordinibus suum quisque inimicum in confusa illa multitudine quaeritaret, invento in collum rueret, multis cum lacrimis pacem exposceret, oblatamque mutuis amplexibus atque osculis firmaret. Tanto spectaculo quod vel saxea corda potuisset scindere, nihil animi cleri dissidentis commoti sunt. Itaque de pervincenda edomandaque tanta pervicacia iam desperabatur: verum ne quid intentatum relinqueretur, e re visum est remoto populo separatim ad clerum ipsum habere sermonem: atque ita factum, multis quamquam e clero ipso id aegre ferentibus ac tumultuantibus. Hic enimvero obstinatissimi animi amplius resistere non potuerunt, et orationi ferventissimi Patris cedere coacti sunt. Exortus utrinque clamor pacem veniamque inclamantium, lacrimae, suspiria, amplexus. Ne longum faciam, firmata pax fuit iis quas episcopus aequissimas proposuerat conditionibus. Festo aeris campani sono laetitiae signum e turri editum, quod incredibili laetitia a tota civitate exceptum est, et tandem Deo bene iuvante scandalum perniciosissimum gravissimumque sublatum est.

XVI. Pari felicitate ac successu alia quoque gravissima scandala sustulit. Quodam in pago die sacratissimo Christi corpori festo mos obtinebat, ut puellae flores de fenestris iacerent et praetermeantes amasios conspergerent. Gravissima concione tantam licentiam coercuit p. Thomasinus, effecitque ut flores illi non modo non iacerentur in posterum, sed ad

ecclesiam ornando Christi simulacro deferrentur. Hoc autem quam Deo gratum fuerit miraculo comprobatum est. Nam cum sequenti die horribilis grando decidisset qua passim agri devastari debuissent, non modo eos saxea grando non laesit, sed ne frondem quidem unam arboribus decussit. Pari concione earum mulierum inverecundiam compressit, quae prodire in publicum prope nudato pectore consneverant. Pessimum hunc morem ubicumque fuit, et graviter increpuit et funditus sustulit. Nec vero satis habuit illud libidinis incitamentum tollere, sed praeterea obtinuit ut feminae non nisi collo tenus velo obtectae domo prodirent.

XVII. His de causis vulgo ab episcopis eius opera expetebatur, cuius industriam noverant, et prosperos apostolici eius zeli successus non ignorabant. Nunquam vero et maiorem operam adhibuit et feliciorem eventum sortitus est, si felicitatem rei difficultate aestimare velimus, quam in componendo quodam virginum sanctimonialium coenobio. Hae defecerant omnino ab instituto, aliam iniverant vivendi formam feminis Deo sacris prorsus indignam; homines vero societatis incredibilem in modum aversabantur in quibus episcopus spem collocarat suam, et praecipue in p. Thomasino, cuius industria plurimum confidebat collapsam posse restitui disciplinam et virgines illas ad officium reduci. Ubi rescitum est a sanctimonialibus, episcopum cogitare uti opera nostrorum hominum, omnes vehementissime repugnarunt. Cedendum tempori existimavit p. Thomasinus atque exspectandum, dum se mollior praeberet opportunitas. Verum cum hac super re Deum consuleret, sibi vocem quodammodo audire visus est, qua ei divinum iudicium denuntiabatur, si occasionem oblatam conciliandi Deo tot sacras virgines sibi e

manibus elabi sineret. Hac denuntiatioue perterrefactus Pater sine cunctatione negotinm aggreditur. Itaque cocuobium adit, quae mandata habebat ab episcopo expouit, preces adhibet, demulcet animos et non sine prodigio impetrat omuia quorum causa veuerat, rebusque ex sententia episcopi et sanctimonialium compositis, abiens magnum sui reliquit desiderium, nec minorem de societate existimatiouem.

XVIII. Multò maioribus obseptum difficultatibns aliud sacrum virginum coenobium fuit, quam ut facili negotio adiri posset. Collapsa prorsus iacebat disciplina regularis, gravissimi irrepseraut abusus et effrenata licentia mouasterium totum occuparat. His iucommodis accedebat summa ab hominibus societatis aversio, quorum ue nomeu quidem ferre poterant. Contra episcopus pro sua erga societatem benevoleutia hos esse uuicos qui tauto malo remedium afferre posseut existimabat. Eorum itaque opera uti decrevit: evocatoque p. Thomasino ei negotium dat, videat quid fieri posset ut res e seutentia conficeretur. Iuterim moniales clam submittere exploratores ad alia sacrarum virginum coenobia, ad quae accessisse iam Patrem acceperant, ut de Patris ipsius moribus cognoscereut ac referrent. Hi quod erat et ipsi compererant renuntiant, virum esse sanctum, iucredibili lenitate ac mansuetudine. His reuuntiatiouibus aliquae flecti, uon tamen omnes: quaedam ceteris pervicaciores manebaut in seutentia excludendi omnino iesuitam a coenobio. Ubi primum hic aditus patuit, rem tentandam existimavit Pater. Adit igitur coenobium et sacras illas virgines more illo suo modestiae et lenitatis plenissimo adloquitur et tantum primo congressu proficit, quantum optari vix poterat. Et vero rem confecisset, nisi una reliquis pervicacior obstitisset. Haec enim pravae con-

suetudinis laqueo irretita, nihil ferebat aegrius quam ut regularis disciplina restitueretur. Quae quidem ubi sensit rem prope confectam omnium fere monialium consensione, omnem lapidem movere non destitit, donec unamquamque sororem prensando et singularum cubicula adeundo ad triginta in suam sententiam pertraxit. Ipsa vero publice profiteri non exhorruit, se prius inferos adituram quam ut animum induceret, peccata apud patrem confiteri sua. Accidit autem ut per eos dies sanctae Theresiae vita in triclinio legeretur et Deo sic disponente illud incidit caput, in quo praeclara de societate sanctissimae illius virginis testimonia recensebantur. His auditis tanto exarsit furore, ut si libri potestatem habuisset illum utique discerpere non dubitasset. Verum illa lectio ei saluti fuit; ut se ab illo subito furore collegit, melioribus consiliis locum dedit et paullatim divina operante virtute ad sanitatem rediit. Eiuravit quae male iactaverat, et sui victrix quas a p. Thomasino sorores abduxerat, ad eumdem exemplo suo reducendas curavit. Itaque prior adit Patrem, multis cum lacrimis veniam implorat et omnes conscientiae maculas illi detegit et sincera confessione abstergit. Reliquae eius exemplum sequutae sunt; atque ita omnia scandala de monasterio sublata, domestica disciplina restituta, unaque cum ea omnia bona reddita, quae regularum observantiam consequuntur. Hoc modo res quae difficillimum atque implicatissimum exordium habuerat, secundo ac felicissimo exitu explicata fuit.

XIX. Sed iam aliquid de eius virtutibus dicamus. Ardentissimo imprimis animarum zelo flagravit, quod ex dictis colligi satis potest. Iam diximus, quot quantosque quamque incredibiles tolerarit labores, qui utique multos oppressissent

nisi opportuno consilio provisum esset. Hinc primum socios, alios subinde atque alios mutare, tum omnino relinquere coactus est. Nemo enim reperiebatur cuius tantae essent vires, quem labor ille assiduus atque immodicus qui ab eo alacriter ferebatur non frangeret.

XX. Iam vero labores qui necessario in sacris missionibus suscipiendi sunt, voluntariis corporis sui afflictationibus cumulavit. Duriter admodum sustentabatur parcens potui atque cibo usque ad inediam. Toto fere anno ieiunabat ac coenare solitus, prandio abstinebat. Ad coenam porro nihil fere aliud adhibuit, nisi pulmentum ex pane cocto herbisque confectum. Somno brevissimo contentus totam fere noctem orando extrahebat. Neque vero flagris ac flagellis pepercit, imo se horrendum in modum cecidit. Nullus erat plagarum modus, nullum lanienae definitum tempus ut quandoque psalmi poenitentiales ante absolvi possent, quam ipse a verberatione cessaret. Flagellis autem neque semel in die, sed saepius se cruentabat: neque tantum privatis in aedibus, sed etiam in publico foro in peroratione concionum ad commovendos excitandosque ad poenitentiam auditorum animos. Nudis fere semper incessit pedibus saepe offendiculo discerptis. Hoc modo incedens montium cacumina superabat, atque in ipsa apennini conscendebat iuga; mirantibus incolis hominem sic posse incedere per asperas ac salebrosas vias, quando ipsi ferratis calceis uterentur, necessarium contra acutos scopulos silicesque munimentum.

XXI. Iam vero de paupertate nihil dicam, quae satis vel ex ipso corporis indumento apparebat. Detrita vestis et saepe lacera. Nactus cubiculum aliquanto instructius quam eius ferre paupertas posset, illud prorsus nudavit, ea tantum re-

linquens quae necessitati negari omnino non poterant. Obedientiae quoque eximins cultor fuit: nihil nisi ex superiorum licentia aggressns est atque in omnibus eorum semper exquisivit voluntatem. Castimoniae fuit tantae, ut vel ipso adspectu ad eius virtutis amorem intnentes alliceret. Qnod ad religionem attinet, singulari pietate complexus est sanctissimam Dei parentem; illam non alio nisi matris suae vocabulo appellabat. Inter ceteros sanctos eximie coluit s. Franciscum Xaverium, quem non solum advocatnm sibi adoptarat, sed tamquam exemplar imitandum sibi proposuerat. Eius invocato nomine multos sanitati aegrotos restituit. Singulari affectu devotionis in sacrosanctum Encharistiae sacramentnm ferebatur. Cnm divinum missae sacrificium celebraret totns lacrimis diffluebat. Praeter has quas diximus virtntes qnae sanctitatem constituunt, alia sanctitatis indicia in patre Thomasino minime desiderata sunt. Inter concionandum caelesti circumfusus lnmine visus est. Interdum etiam elatus a terra cnm nocte quadam in ecclesia solus oraret.

XXII. Multa praedixit quae eventu suo non caruerunt. Inter cetera sibi dnos etiam nunc superesse vitae annos p. Ambrosio Centurionio provinciae praeposito diserte scripsit; et quod praedixerat evenit. Cum gravi morbo decumberet, hospitesque unum aliquem e nostris qui morienti adesset, ex proximo collegio evocandum censerent, id minime necesse esse affirmavit, quia *nondum,* inquit, *venit hora mea:* et vero contra omnem exspectationem convaluit. Cum res aliquando minus e sententia in missionibus procederent, multa interminatus est quae eventus non fefellit. Hinc mirum in modum erga sanctum virum apud populos aucta veneratio est, qua fiebat ne quid admitterent, quod Patri displiceret et sacrarum

missionum fructum iuterciperet. Coutra preces saucti viri certatim expetebautur. Cum quodam in oppidd Piceui uou mediocris futurae caritatis iniectus esset timor, eius apud Deum efflagitata oratio est. Postulatis auuuit Pater et tum pluviam sequuturam praedixit cum oppido pedem extulisset. Dies profectiouis adveuit et multis oppidauorum millibus comitautibus discessit. Vix aliquautum processerat, ingeus pluviae vis consequuta est quae Patrem uuaque comitatum omuem regredi in oppidum coegit.

XXIII. Abdita quoque cordium peuetravit. Illud documento sit quod solus cum solam mulierem iu ecclesia orantem forte couspicatus esset, ad eam accedeus, *utere,* inquit, *opportunitate, confitere peccata quae admisisti gravissima.* Hac denuutiatioue perterrita mulier ad eius pedes accidit et maculas conscieutiae suae salutari coufessioue abstersit. Quod autem ad gratiam quam vocaut curatiouum attiuet, multos ab eo accepimus sauitati restitutos, non precibus tantum sed earum rerum usu quae ad ipsum aliquo modo pertiuereut. Hiuc pauis quae ei supereraut reliquiae clam subducebantur et diligeutissime servabautur: aqua ipsa qua mauus abstersisset iu pretio habebatur, propterea quia multi illam iu morbis salutarem experti fueraut, eaque pota valetudiuem recuperaveraut.

XXIV. Sed reliquum est, ut quam brevissime eius mortem exsequamur. Correptus morbo in quodam oppido seuensis orae maritimae cui uomen Saxo: vix decubuit socio ad se vocato, *moriendum est*, iuquit, *iam venit hora mea.* Et saue advenerat, quamquam medici de eius salute miuime desperareut. Igitur siugulari devotione sumptis ecclesiae sacramentis, horam illam ipsam quam praedixerat, pleno in

Deum fiduciae animo opperiebatur. Paullo ante quam moreretur ad socium conversus *obsecro*, inquit, *ut corpus meum terrae mandes et congestis saxis aliquot contumules, vereor enim ne inhumatus relinquar.* Adeo de se demisse vir sanctissimus sentiebat, ut qui omnibus benefecerat, defuturum existimaret qui tenue illud pietatis officium quod omnibus impenditur corpori suo praestaret. Haec aliaque huiusmodi identidem iterabat quae et animi demissionem singularem ostendebant, et adstantium lacrimas eliciebant. Tandem post acerbissimos dolores patientissime toleratos, senio morboque confectus, coniectis in caelum oculis excessit e vita die III martii an. MDCCXVII annos natus LXXXV nondum expletos, quorum LIII in sacris missionibus exegerat.

XXV. Quem vivum populi venerati sunt, pari honore mortuum atque adeo multo maiori habuerunt. Exsequiae solemni pompa celebratae sunt: conveniente ex oppidis vicisque proximis infinita populi multitudine. Pro concione laudatus est a p. Seraphino Giardonio abbate cisterciensi. Absolutis exsequiis de cadavere certatum est. Oppidani sibi sacrum illud pignus eripi aegre patiebantur, senenses repetebant et collegio nostro deberi affirmabant. Crassetum vero quae est urbs princeps illius orae maritimae, illud sibi suo iure vindicabat. Certaminis palmam Crassetum tulit, quam in urbem sacrum cadaver illatum est, relictis tantum intestinis ut essent Saxi oppidanis solatio. Ut Crassetum appropinquavit magnificentissima pompa exceptum est, obviam prodeunte tota civitate, militari praesidio, religiosis ordinibus, clero universo, ipso denique episcopo pontificiis vestibus induto. Exsequiae iterum celebratae sunt; tum separatim in arca clavibus sigillisque munita depositum cadaver est et in

aede maxima tumulatum. Multa narrantur prodigia quibus Deus servi sui sanctitatem multis modis confirmavit. Post annos duos arca reserata est, cadaver inspectum et non sine admiratione intactum repertum. Hac ipsa occasione additum ellogium marmori insculptum impensis Ioannis Baptistae Petracelli, qui p. Thomasini multos annos in sacris missionibus comes fuerat eumquè singulari veneratione prosequebatur. Ellogium autem est huiusmodi:

OSSA
P . ANTONII . THOMASINI . TIPHERNATIS
SOCIETATIS . IESV
QVI . MAXIMIS . ASSIDVISQVE . LABORIBVS
IN . PROCVRANDA . ANIMARVM . SALVTE
PER . QVINQVAGINTA . ET . VLTRA . ANNOS
STRENVE . TOLERATIS
AC . SENIO . TANDEM . CONFECTVS
IN . OPPIDO . SAXI . MARITIMI
RELIGIOSISSIME . OBIIT
CRASSETVM . TRANSLATA
IN . HOC . TVMVLO . CLAVDVNTVR
DIE . VI . MARTII . AN . MDCCXVII

VI.

P. FRANCISCVS MARIA GALLVZIVS

I. Recentiora nobis edidit exempla et singularis innocentiae et apostolici zeli p. Franciscus Maria Galluzius. Natus est Florentiae anno ab ortu Christi MDCLXXI die IX ianuarii: patrem habuit Iacobum Galluzium patritium volaterranum et egregium iurisconsultum; matrem vero Alexandram Pignoriam ortam nobili apud florentinos familia. Infans vitae discrimen adiit, sed divino praesidio liber periculo evasit. Parentes coniunctis studiis non liberaliter modo sed etiam pie educarunt: ipse vero qui docilem nactus erat indolem, egregie educationi respondit. Propositis sibi s. Aloisii Gonzagae exemplis, eius innocentiam non solum sed etiam abstinentiam studuit imitari. Parce admodum vescebatur; non raro solo pane et aqua contentus ieiunabat. Surgebat interdum e lectulo intempesta nocte, et quod furabatur corporis quieti tempus impendebat orationi, solitus etiam se flagellis caedere et catenulis ferreis sibi lumbos praecinge-

re. His rebus factum est ut cum scholas societatis Iesu celebraret, et satis pro aetate in litteris profecisset, nostrorum consuetudine illectus de ipsa societate ineunda cogitarit.

II. Verum eius votis intercessit pater et distulit facultatem; sed dilata facultas fervidi adolescentis auxit cupiditatem. Non defuit interea qui eius constantiam labefactare aggressus multa in societatem Iesu ore impuro evomere non dubitavit, sed irrito conatu: neque enim pium adolescentem de sancto proposito movit, sed potius in suscepto consilio confirmavit. Itaque ardentius quam antea et optare societatem, et vehementius pro facultate impetranda patri supplicare coepit; qua tandem extorta se ad romanum tyrocinium contulit et XXIV maii MDCLXXXVIII in pervigilio nempe sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis quam singulari cultu prosequebatur, inter tyrones cooptatus est.

III. Iam exorsus novum vitae genus, iis comparandis virtutibus se dedit quae a sanctissimo parente Ignatio requiruntur ab alumnis suis, quo sibi et aliis prodesse possint. Nuncupatis votis, decursis philosophiae spatiis, perfunctus item docendi munere et postea theologiae confecto curriculo, sacerdotio iam initiatus ac denique absoluto tertiae, quam vocamus, probationis anno, emissaque tandem quatuor votorum professione, cum se in tanta munerum varietate ita gessisset ut sibimet constasset semper, dignus habitus est qui gravioribus muneribus admoveretur.

IV. Docuit itaque primum philosophiam in collegio pratensi, tum Romam evocato concionatoris munus in oratorio s. Francisci Xaverii defertur. Atque hoc quidem oratorium abunde p. Francisco suffecit, unde incredibilis eius zelus et insatiabilis quaedam divinae gloriae propagandae cupiditas

et veluti fames expleretur. Est enim ita institutum, nihil ut ad Dei gloriam ac salutem animarum conducat, quod non faciat sibi proprium. Conciones per compita ac urbis fora diebus festis, singulis vero diebus nocturnae conciones vel colloquia in ipso oratorii templo habentur. Tota intra anni curriculum sacris missionibus lustratur urbs, suo quibusque urbis regionibus mense assignato quo illa praecipue regio excolitur. Nec vero interea carcerum ac valetudinariorum omittitur cura. Ad haec sodalitiis plurimis abundat et sacerdotum et opificum, in quibus propria quibusque ac peculiaris adhibetur institutio. Uno verbo, tanta est sacrarum exercitationum tamque apta ac colligata connexio, ut illis sibi perpetuo succedentibus, ne hora quidem diei propemodum una vacua sit et immunis.

V. Igitur vir Dei qui divinae gloriae amplificandae studio ardebat, oblatum munus non accepit solum sed arripuit. Conciones habebat quotidie ad confertissimam multitudinem, quam et sanctitatis opinio et eximia quaedam eloquentia qua valebat plurimum, illi nunquam non attraxit. Correcti eius concionibus multorum mores, multi e vitiorum coeno educti, et nonnulli quorum prope desperata animae salus videbatur, a sempiterno interitu vindicati. Verum minime confectus quotidiani concionatoris munere aliud quoque catechistae sibi sumpsit, atque urbis regiones una cum sacra missione obiens, rudem plebem quae magna frequentia cogi solet christiana doctrina instituendam suscepit. Porro utrumque gravissimi muneris laborem excipiendarum confessionum assiduitate cumulavit. Atque haec quidem tanta fuit, quanta dici aut credi vix possit. Excipiebat omnes indiscriminatim singulari benignitate; nulla utebatur excusatione aut intempestivi tem-

poris aut tuendae valetudinis. Saepe totus sudore diffluens statim ab ipsa concione ad sacrum tribunal pergebat ibique tamdiu commorabatur, dum confluentium multitudini faceret satis.

VI. Haec strenue cum ageret vir apostolicus, aliam de proximis bene merendi occasionem ei obtulit Deus. Concussa fuit per id tempus ingenti terrae motu Nursia, quod est oppidum s. patris Benedicti incunabulis longe nobilissimum. Nursiam Clementi XI visum est hominem mittere, qui afflictam tanta calamitate civitatem recrearet, et salubriori motu illorum civium animos ad poenitentiam concuteret. Missus itaque est p. Galluzius, de cuius virtute singulari ac satis spectato apostolico zelo magnam Pontifex habebat existimationem. Iniunctam provinciam suscepit Pater alacri animo, et valde incommodo usus itinere, viis glacie nivibusque concretis, eo tandem quo missus erat pervenit. Quanto illorum civium gaudio exceptus fuerit tamquam a caelo legatus, quanta ibi ad Dei gloriam ac salutem animarum gesserit, coniectare licet, exponere non licet, propterea quia et ipse omnia silentio pressit, et non multo post ingravescens terraemotus urbem illam totam oppressit.

VII. Reversus Romam locum quem eius discessus vacuum fecerat, ab altero occupatum offendit cui concionatoris munus superiorum voluntate delatum fuerat. Hoc aegre admodum tulit Pater. Verum non causas novi consilii curiose investigandas existimavit, sed munus sibi carissimum alteri delatum peccatis unice propriis adscribendum censuit.

VIII. Verum in hoc ipso divinae providentiae consilium eluxit, quae sanctum virum externorum auditorum qui magna frequentia collegii romani scholas celebrant saluti de-

stinarat. Auctus igitur novo munere florentissimam illam iuventutem modis omnibus excolendam suscepit. Illud vero dici potest, ex tot adolescentibus, si non omnes, incredibilem certe eorum numerum, sibi illum conscientiae suae arbitrum ac moderatorem elegisse. Uti vero potuerit unus tam multis sufficere ex eo credibile fit, quod apostolicus Pater nullam prope diei horam labore vacuam sibi fecerat. In sacro poenitentiae tribunali sedebat assiduus, quod fere semper adolescentium turba stipatum erat ac circumsessum. Incredibili patientia et animi lenitate affluentes iuvenes excipiebat. Nullum in eo taedii aut defatigationis indicium observare erat, perinde quasi non a diuturno labore fessus, sed a quiete semper atque otio recens esset.

IX. Atque huius quidem assiduitatis uberrimos tulit fructus. Longissimus posset eorum texi catalogus qui Patris verbis et adhortationibus permoti contempto saeculo, se diversis religiosorum hominum familiis aggregarunt. Multi sanctam vitam quam pio eius consilio instituerant pretiosa morte clauserunt, ut non mediocrem sanctitatis opinionem post se reliquerint. Neque est tacendum hoc loco quod de pio quodam adolescente narratur, cui cum homo nequissimus pudicitiam conaretur eripere, ille nova ac singulari ratione a se iniuriam propulsavit. Nam cum mori mallet quam turpiter perpeti, arreptam altera manu Christi crucifixi imaginem tenuit, altera vero flagellum strinxit, quo se tamdiu cecidit dum impurus aggressor inusitato spectaculo commotus atque adeo deterritus aufugit. Haec erant solidae pietatis indicia quae ab adolescentibus qui se Patri in disciplinam tradiderant, edebantur.

X. Verum etsi totus in excolendam collegii romani iuventutem incumberet, non tamen omnino oculos ab oratorio s. Francisci Xaverii deiecerat, tantumque precibus apnd Deum institit, ut praesides tandem aliqnando seu necessitate compulsi, seu potius Deo sic disponente permoti, pristinnm ei concionandi munus detulerint. Anctus hoc onere tantnm abfuit, ut alterum externos collegii auditores instituendi deponeret, ut alacri animo cnra incredibili, divinae gloriae incremento ntrumque portarit; atque ita operam suam oratorio praestitit, nt unice illi occupatus iudicari posset, atque e contrario ita eamdem collegio navavit, nt tantum de unius collegii scholasticis cogitare videretur.

XI. Et sane mirabantur omnes quomodo nnus tot munera obire posset ac tam diversas uno tempore sustinere personas. Sed Pater *omnibus omnia factus* qni omnem de propria valetudine curam abiecisset atque unam animarum salutem quaereret, rationem invenit qua id efficeret quod alii ne conari quidem auderent. Et vero quo cumulatius utrique muneri satisfaceret, quod ad collegii discipulos attinet, sodalitii ab apostolis nuncupati curam suscepit. Est quidem hoc sodalitium imprimis nobile a p. Pompeio de Benedictis singulari doctrina ac probitate viro iam pridem in romano collegio institutum, quod et florebat tum et hodie etiam floret viris sanctissimis, qui e frequentissimo externorum anditorum numero lecti in illud cooptantur. Ex hoc sodalitio non ita pauci prodiere qui singulari decesserunt opinione sanctitatis, quorum virtutes collegit ipse Pater typisqne vulgavit, ut illos omittam qui ad honorifica sacerdotia atque etiam ad episcopatum promoti divinam gloriam propagarnnt et multis saluti fuerunt.

XII. Quod autem attinet ad oratorium, ut magis ac magis augebatur eius fama sanctitatis, fiebat ut quotidie multi eum consulerent ac conscientiae sibi suae adsciscerent moderatorem. Hinc aegrotantium domos obire et morientibus assidere coactus vix partem quietis minimam capere poterat. Ipse vero nunquam magis laetus et alacer quam cum maioribus esset in dies occupationibus distentus ac paene oppressus. Neque vero illud quo admiratio cumulatur est hic praetermittendum, quod perinde ac si otio abundaret sese scriptioni dedidit, quo latius sua pateret industria et diuturnior laborum suorum fructus exstaret. Multa scripsit ad proximorum utilitatem quae typis impressa publici iuris facta sunt Inter alia multae eius censentur lucubrationes, quae ad augendum sanctorum cultum praecipue conducunt. Nonnullorum etiam e nostra societate apostolicorum virorum vitas copiose luculenterque conscripsit quibuscum ei aliqua necessitudo ac familiaritas intercesserat, quosque cum optime nosset, eorum quoque virtutum imaginem ad vivum expressit. Erat enim ut mira quadam dicendi, ita egregia scribendi facultate praeditus.

XIII. Postremo nequid omitteret quo aliis prodesse posset, incredibilem epistolarum numerum singulis exarabat hebdomadis, quibus epistolis bene multos, aut in susceptae melioris vitae proposito nutantes confirmavit, aut ad sanctioris perfectiorisque vitae genus traduxit. Hinc multi eius certatim eliciebant epistolas, quibus iuvari se mirum in modum affirmabant. Optimus vero Pater nunquam his officium non praestitit suum, et quod quieti ac somno aliisque corporis levamentis ab a iis tribuitur temporis, id paene totum ab ipso aut exarandis epistolis, aut conscribendis sanctorum ho-

minum rebus gestis describendisque virtutibus consumebatur.

XIV. Verum hic vitae tenor atque immensum tot laborum pondus frangere necessario atque opprimere ante tempus debebat homiuem, qui nou admodum firmo sed gracili potius atque imbecillo habitu corporis utebatur. Et vero fregit atque adeo opressit; sed priusquam ad eius obitum veniamus pauca more solito de eius virtutibus persequamur.

XV. Mitto dicere imprimis quo zelo fuerit quam ferventi et apostolico, propterea quod ex his quae commemoravimus colligi potest. Hoc tantum addam quod praetermitti ab historico nec potest nec vero debet. Auimadverterat vir divinae gloriae ac salutis animarum studiosissimus, inopes mulierculas nullo tecto passim per urbem vagantes noctu sub dio in foris ac porticis iacere magno utique valetudinis detrimento, sed multo maiori pudicitiae periculo. Harum vicem miseratus Pater utrique incommodo sibi occurrendum esse statuit. Itaque corrogatis undique subsidiis hospitalem domum aperuit, quam miseris illis vagisque feminis patere voluit, quo et commodius cubarent, et quod caput est, a certissimo amitteudae pudicitiae discrimine submovereutur. Domum Immaculatae Deiparae Virginis Conceptioni, et s. Aloisio Gonzagae dicatam pontificio diplomate stabiliendam communieudamque curavit. Viget nunc pium ac salutare institutum, iisque legibus regitur quas Pater earum feminarum generi accommodatissimas et prudentiae plenissimas scripsit. Postremis bisce aunis ornata domus meliorem iu formam et aucta etiam reditibus fuit, sedulitate potissimum aeque pii atque industrii e societate nostra operarii, qui eius curam gerebat. Atque haec de eius apostolico zelo dicta sint satis.

XVI. Iam reliqnae virtutes qnae sanctitatem constituunt, minime in eo desiderabantur. Neque enim satis idoneus ad aliorum salutem qnaerendam esse potest, qui propriam negligat. Singulari innocentia fuit, qnae virtus in eo praecipue enituit, ac propterea eius ellogio inscripta legitur: s. Aloisium Gonzagam, quem nti diximns iam inde a pneritia singulari cultu venerari coeperat, hac parte imitari studuit, et pari felicitate, quam sacro in baptismate innocentiae stolam accepit, eamdem ad mortem usque integram immacnlatamque servavit. Einsdem angelici iuvenis exemplo innocentiam cum poenitentia coniunxit. Mitis et lenis in alios, in semet severus et asper fuit. Flagella ad corpns edomandum caedendumque adhibuit non communia, sed ferreis stellis armata quae exstantibus acnminibus magnam sangninis vim exprimebant. Nullus vero caedendi modus, nisi quem fervor et sanctum qnoddam in semet odium definiret. Parcns in snmendo cibo, toto fere vitae suae tempore incoenatus cnbitum iit. Mensae communi cum adsideret, qni exquisitiores forte apponerentur cibi, eos fere relinquebat intactos. Vestitn obsoleto ntebatur et saepe lacero, pileo vero adeo consumpto ut circumquaque in faciem humerosque deflneret. Ipsemet quondam affirmavit, caligas qnibus erat indutns, existimare se mendico oblatas ab eodem reiectum iri, adeo lacerae erant atque discerptae.

XVII. His quas descripsimus, virtutibus studium orationis adiunxit. Commune omnibus meditationis, lectionis, examinum pensnm exacte fideliterque persolvit, nec quidquam de tempore rebns spiritnalibns destinato praecidit. Quidquid otii in tantis quas diximus occnpationibus nanciscebatur, totum precationi dabat. Erga sacrosanctam Christi humani-

tatem eiusque dolores ac cruciatns mirum in modum afficiebatur. Par devotionis erat sensus in divinum Eucharistiae mysterium. Sanctissimam Dei Genitricem non secus coluit atque impense dilexit, ac carissimam et optatissimam matrem. Secundum hos s. Aloisium Gonzagam eximie coluit, cnius cnltum non solum mirifice propagavit, sed etiam eius singulares virtutes in semet ad vivum expressit, innocentiam praesertim et poenitentiam.

XVIII. His itaque virtutibns ornatus cum esset, cum tot labores pro divina gloria ac salnte animarum tolerasset, cum caelum iam respiceret, eo tandem evocatus est. Mortem sibi instare multo ante praescivit atque praedixit. Scribens enim Mariae Magdalenae Vbaldinae sorori suae, nobilissimae ac religiosissimae feminae: *anno,* inquit, *MDCCXXXI sistar ad divinum tribunal.* Igitnr IX angusti eius quem diximus anni, gravissimis doloribus afflictari coepit, qui magis magisque ingravescentes Patrem ad exitum vitae perduxerunt. In tanta dolorum acerbitate summam prae se tulit patientiam, nullum eis lenimentnm quaerens, nisi quod ex assidna Christi Domini cruciatuum meditatione capiebat. Illud dolebat unice, quod in lectulo tamquam piger ac desidiosus moreretur, non autem in acie tamquam fortis et strenuns miles occumberet. Quamqnam nec omnino desidiosns et nihil non agens occnbuit. Nam vix urbe percrebuit p. Franciscum Mariam extremo morbo laborare, tantus omnium ordinum generis ac loci hominnm concursns factns est ad aedes collegii romani, ut aegre ianitores confluentem turbam snbmoverent. Admissi primores quique atque ex religiosis praesertim familiis homines, ad Patremque introducti, quornm alios blandis solatus est alloquiis, alios opportunis in susceptae vi-

tae sanctioris instituto confirmavit adhortationibus, multorum denique confessiones excepit. Sed cum maior in dies augeretur concurrentium numerus, nec omnes intra cubiculi angustias admitti possent, qui excludebantur rogare atque obsecrare, ut aliquid saltem quod a Patre fuisset adhibitum, solatii ac memoriae causa secum auferrent. Itaque cilicia, flagra, ferreae catenulae, pii libelli, sanctorum imagines, aliaque huiusmodi dispertiri coepta sunt. Sed neque hoc modo omnium postulationibus satisfactum est. Multi abibant moesti et conquerebantur vehementer, quod nec Patrem alloqui potuissent, nec quidquam discedentes reportarent. Igitur novo ac praecipiti consilio, impetu repente in sacrum tribunal facto in quo confessiones tum in oratorio, tum in collegii templo solebat excipere, illud in frusta conscindere coeperunt. Et vero conscidissent, nisi utrumque loco motum aeditui in tuto collocassent.

XIX. Haec dum agebantur, cum sanctus vir morti magis appropinquaret, enixe rogavit ut sacrosancto Viatico reficeretur. Sed non ante illud sumpsit, quam scriptum quoddam a se exaratum ac patri Francisco Piccolomineo insignis probitatis viro qui morienti adsidebat, traditum legeretur. Erat autem scriptum illud plenissimum opprobriis ac contumeliis, quae ad sui contemptum vir humillimus collegerat; quo non sine lacrimis ac gemitibus adstantium recitato, summo devotionis sensu cepit sacrosanctum Christi corpus. Verum cum decessurus quam primum videretur, ad octo dies vitam produxit non sine divinae providentiae consilio, quo et eius merita augerentur, et alia nobis atque alia patientiae omniumque virtutum exempla suppeditarentur. His transactis sacro oleo inunctus, cum oculis ac nutibus sibi caelestis alicuius

visionis speciem oblatam esse significasset, fortasse beatissimae Virginis aut s. Aloisii clientem suum ad caelum invitantis, *venio, eamus* intermortuis verbis pronuntians placidissime decessit die, qui nativitatem b. Virginis praecedit anno **MDCCXXXI** aetatis suae **LX** quorum duos et quadraginta in societate sanctissime innocentissimeque transegerat.

XXX. Fama eius obitus vulgata, tota urbs sedibus commoveri visa est. Omnium consentiens opinio fuit, a s. Philippo Nerio urbis apostolo similem numquam totius urbis motum exstitisse. Itaque aegre admodum cadaver in templum delatum est, obsepto immensa populi multitudine omni aditu; non minus aegre solitae preces a nostris persolutae sunt. Crescens magis ac magis frequentia verius tumultus quam concursus speciem exhibuit, atque adeo excrevit ut eam magnificentissimi templi summa laxitas atque amplitudo non caperet. Non defuerunt in tanto numero viri principes ac matronae nobilissimae, qui Patris funus praesentia sua honestarunt. Nemo non luxit Patris obitum, quem vulgo sanctum et urbis apostolum appellabant. Denique tertio ab obitu die, quod ipse diserte his verbis praedixerat, *se nonnisi tertia die quieturum*, lignea in arca cadaver inclusum et in commune sepulcrum illatum est. Eius imago aeri incisa cum hoc ellogio circumfertur

P . FRANCISCVS . MARIA . GALLVZZI SOC . IESV

FLORENTINVS

VITAE . INNOCENTIA . CONTEMPTV . SVI

ALIENAE . SALVTIS . STVDIO . SPECTATISSIMVS

OB . ROMAE . VII . SEPTEMBRIS . MDCCXXXI . AETAT . LX

VII.

P. CAMILLVS PACETTVS

I. Honestis parentibus natus est in sabinis anno MDCLXXXXVII die XXXI maii p. Camillus Pacettus omnium qui singulari opinione virtutis in romana provincia decesserunt, recentissimus. Romae educatus liberalibus disciplinis operam dedit in collegio romano. De eius adolescentia nihil habeo comperti; dubitari tamen minime fas est, quin ita se gesserit ut cooptari in societatem meruerit. Itaque in eam ingressus tyrocinium posuit in domo s. Andreae; tum decursis de more studiorum spatiis et magisterii munere defunctus, confecto item tertiae probationis anno ac demum ad quatuor votorum professionem admissus, coepit in vinea Domini laborare, quam strenue naviterque reliquo suae vitae tempore excoluit.

II. Fuit in pluribus provinciae collegiis, prout praesidum ratio ac divinae gloriae res postulabat et ubique muneri suo nunquam defuit. Tandem Perusiam missus, nobilissimam

ditionis pontificiae urbem, in ea fixum ac stabile domicilium collocavit. Neque enim inde unquam a superioribus evocatus fuit, neque fortasse si animum eum loco movere induxissent, id perficere per eos cives patris amantissimos potuissent. Nam vix pedem p. Camillus eam in urbem intulit, omnium animos sanctitatis opinione corripuit: eum omnes tamquam civem suum amabant, tamquam sanctum ac prope angelum e caelo missum venerabantur.

III. Praefectus opificum sodalitio totam sodalibus operam impendit suam. Eorum confessiones excipiebat, reficiebat divini verbi pabulo, pauperiores corrogatis eleemosinis sustentabat, solabatur aegros: aegrotantibus adsidebat ac denique ad mortem pie sancteque obeundam eosdem adiuvabat. Quibus rebus factum est ut sodalium numerus incredibiliter creverit, eo pietatis incremento, quod fere ex hoc genere hominum si cultura minime destituantur, consequitur.

IV. Verum p. Camilli caritas angustis unius sodalitii limitibus coerceri non potuit, sed ab illo sodalitio initium capiens brevi ad omnes civitatis ordines progressa est. Nemo enim fere erat in frequenti civitate qui illum non conveniret, aut consultandi causa de rebus ad salutem animi pertinentibus, aut onera apud eum conscientiae deponendi. Ipse vero libentissime omnes excipiebat, omnes a se non nisi bene animatos in Dei cultu atque in aeterna animi quaerenda salute dimittebat. Porro ex honestioribus civitatis ordinibus paullatim ad infimos atqne adeo ad ipsam urbis faecem descendit. Itaque apparitores lictoresque genus hominum vulgo invisum non solum non praeterivit, sed etiam peculiari caritatis studio complexus est. Hos p. Camillus frequenter adibat, desides atque otiosos in propriis stationibus convenie-

bat et blande comiterque appellans salutaribus implebat monitis atque alliciebat ad confessionem. Ab his digressus pergebat ad carceres ibique detentos peramanter visitabat et quibus poterat modis solabatur. Siqui vero ad patibulum perducendi erant, eos ad mortem obeundam adiuvabat, nec deserebat donec carnificum manu iugulati animam efflassent. Nam quid de publico urbis valetudinario dicam? Hic prope erat assiduus, neque ullum ministerii genus quantumvis abiectum ac sordidum refugiebat. Circuibat lectos, rudes christianam doctrinam edocebat, fere omnium excipiebat confessiones. Porro his ministeriis tot tantisque occupatus, dici non potest quot labores pertulerit, quot noctes insomnes duxerit non sine gravi propriae valetudinis detrimento. Sed carnis infirmitatem sustentabat animi robur; et incensum animarum iuvandarum studium vires tot oneribus pares sufficiebat. Iam ad ea quae supra recensuimus paene assiduus concionandi labor accessit; quo in munere mirum in modum valuit; non quaesito fucatae eloquentiae artificio, sed singulari opinione virtutis. Numquam vero magis eius concionandi vis patuit, quam cum aliquae incidernnt occasiones, aut exorandi numinis, aut publicae calamitatis quae immineret depellendae. Has arripiebat statim tamquam a Deo oblatas homo salutis animarum et divinae gloriae studiosissimus, prodibatque in publicum et verba ad confertam multitudinem faciebat. Anno nescio quo ingenti terraemotu succussa urbs fuit. Magnus omnibus iniectus timor maioris calamitatis, si novo iterum motu tecta urbis quaterentur. Itaque omnium animi ad placandam divinam iustitiam deprecandamque tantam calamitatem conversi. Oblata opportunitate usus est p. Camillus, prodiit in forum, verba fecit ad incredibilem populi multitu-

dinem eo snccessu, ut nemo fere ex tanta frequentia inventns fuerit, qui sacramentali confessione conscientiam non expiarit snam. Quod vero divini verbi vim maxime ostendit, omnes confessi sunt magis se patris concionantis sermone et gravioribus divinac irae denuntiationibus, quam ipso terrae motu fuisse concussos.

V. Vernm cum terra novis snbinde motibus quateretur, nec plane consisteret, supplicatio a p. Camillo indicta fuit. Nulla mora: ad dictum diem tota convenit civitas et forum amplissimum multis hominnm millibns refertum fuit. Postquam Pater de superiore loco adstantem multitudinem ad poenitentiam cohortatus est, iussit omnes binos vel ternos incedere et viros a feminis separari. Dicto citius facta discessio fuit. Processerunt primum mulieres, deinde viri bini vel terni ut Pater edixerat, tanta oris compositione, ut satis ipso externo corporis habitu internum animi vere dolentis ac poenitentis affectum declararent. Illud quoque spectaculo fuit, qnod nemo sibi comitem delegit, sed illo quem in tanta multitudine sors obiecit, quisqne contentus incessit. Itaque patritii cum plebeiis, matronae oum infimi generis mulierculis nulla ratione ordinis ac loci habita, incedebant, ne dominis quidem ipsis proprios famulos comites ac socios dedignantibus. Praesul qui urbem nomine Pontificis administrabat, rei novitate commotus et singularem totius civitatis erga virum Dei demiratus venerationem, ipse quoque se continere non potnit, quin se in turbam coniiceret, comitem primo cuique obvio adiungeret, et sic nulla pompa, nullo famulorum agmine stipatus tamquam unus de plebe iucederet.

VI. Haec satis ostendnnt quantum apnd omnes gratia atqne auctoritate valeret p. Camillus, sed eo genere gratiae

atqne auctoritatis, quae non nisi perspecta virtute ac probata sanctitate colligi potest. Sed est aliud huius ipsius rei certius argumentum. Domum in edito colle extra urbem, in loco amoeno ac solitario aedificare coeperat, quam spiritualium exercitiorum secessui destinarat. Sed deficieute pecunia, aedificium constiterat. Prope domum erat sacellum in quo Christi crucifixi effigies colebatur. Admonitus novo terrae motu edixit toti civitati, ut ad divini numinis ultionem avertendam, quod se aliis atque aliis subinde terrae succussionibus nondum placatum satis indicabat, edixit inquam, ut omnes ad sacellum illud de quo diximus, ad venerandam Christi Servatoris imaginem se conferrent, nec porro vacuis manibus pergerent, sed saxum vel laterem ad exaedificandam exercitiorum domum comportarent. Res mira: nemo non paruit suum quisque saxum ad aedificium contulit. Ipsae etiam primariae urbis matronae, quamquam a p. Camillo numero exemptae essent, suum tamen gestantes lapidem eo pergere non dubitarunt, nec quidquam reliquis civibus in pio illo erga Dei famulum obsequio concedere voluerunt. Ingens itaque lapidum congesta strues, qua si non perfecta domus, eo tamen deducta ut commodum ad viginti capere posset, qui eo exercitiorum spiritualium causa secedere vellent.

VII. Atque haec quidem domus inter praecipua p. Camilli opera censenda est. Carebat enim nobilissima civitas et societatis amantissima singulari aeternae salutis subsidio, quod s. parens Ignatius in spiritualibus exercitiis positum censuit ac constitutum. Hoc illi subsidium comparare aggressus p. Camillus, rem difficilem atque arduam una Numinis confisus providentia suscepit, et eo deduxit homo inops

ac pauperrimus quo demonstravimus. Neque vero dum aedificatio absolveretur exspectandum ratus, aliquos qui se omnium primi obtulerant, pro numero cubiculorum, sacris commentationibus excoluit. Hoc autem eo eventu peractum est, quo felicior exspectari non poterat. Tanta enim spiritualium charismatum dulcedine ii perfusi sunt, ut secessum illum tamquam caelestis beatitatis aliquam in terris sedem ubique praedicarint. Hoc autem acriter adeo multorum tantam gustandi dulcedinem acuit desiderium, ut omnium postulatis satisfieri omnino non potuerit; quod effecit ut principes civitatis non solum de absolvendo, sed etiam de laxando amplificandoque aedificio cogitarint. Et sane nisi servi Dei intercessisset modestia, quae de aliena liberalitate tantum uti voluit, quantum ad Dei gloriam satis esse iudicavit, aedificium illud multo latius ac magnificentius evasisset. Quod autem ad rem attinet, maxime toti civitati exstitit salutare ex eoque uberrimi ad Dei gloriam atque ad salutem animorum percipiuntur fructus, qui quidem secundum Deum piis p. Camilli cogitatis atque conatibus referri debent accepti.

VIII. Haec habuimus dicere de rebus a p. Camillo gestis; nunc aliqua de eius virtutibus perstringamus. Quo arserit divinae gloriae studio quantaque in Deum fuerit caritate, satis ex iis quae hactenus recensuimus colligi potest. Par in proximos caritas, nec minus incensum bene de omnibus merendi studium. Neque domi neque foris cessabat unquam; et domi quidem nihil recusavit eorum, quae utpote onerosa socii forte detrectarent, captabatque huiusmodi occasiones quibus aliquod sociis levamentum afferre posset. Quod reliquum tot occupationes temporis faciebant, orationi tribuebat, minimam vero partem capiendo somno et curando

corpori. Haec tanta contentio in causa fuit cur maturius, quam proximorum et divinae gloriae ratio postularet decesserit.

IX. Eximius cultor obedientiae fuit. Nihil unquam inconsultis superioribus aggressus est. Saepe illa usurpabat, atque adeo superiorum ipsorum inculcabat auribus: *ipsos esse praesides, se vero subditum; eorum imperare, suas esse partes parere: proinde iuberent quod vellent, se imperata facturum.* Neque vero solum in rebus maioris momenti, sed in levioribus etiam ac minimis ex eorum pendebat arbitrio. Illud exemplo sit, quod in schedula in qua facultates a superiore impetratas adnotaverat, illa quoque legebatur impertiendi videlicet aliis eum pulverem, quo ad levandam capitis gravedinem utimur et mutuis officiis impertiri solet.

X. Humilitas quoque in sancto viro summa fuit. Ingenii sui tenuitatem verbis exaggerabat, verbis item quantum poterat demissis prudentiam qua ceteroquin valebat plurimum, elevabat. Humilitatis studio nobilium consuetudinem defugiens libentius inter infimae sortis homines versabatur. Hos amabat, hos amplectebatur, hos omnibus christianae caritatis fovebat officiis. Ad humilitatem quoque referri potest, quod aliorum consiliis libentissime adquiescebat. Ipso inconsulto, nescio quis administrationem eius aedificii de quo supra meminimus suscepit, nec ille quidem idoneus cui negotium illud committeretur. Minore enim sumptu et meliori forma aedificium confici poterat. Quod cum humilis servus Dei illi peramanter demonstrasset, responsum tulit peracerbum et illiberale, *ipsum videlicet nescire quae diceret; res quas ignoraret aliorum permitteret tractandas arbitrio.* Hoc responso accepto obmutuit p. Camillus, et ne

verbum quidem contra dicere ausus est. Atque ut aliqua de paupertate dicamus, nudus nudum Iesum sequutus est: vestis detrita, pallium obsoletum, cubiculum nulla re nisi omnino necessaria instructum. Quae muneri sibi mittebantur, ea fere respuere cum gratiarum actione consueverat; si cogeretur acceptare, non suis sed aliorum usibus, ac pauperum praesertim inopiae reservabat.

XI. Ad has virtutes adiecit animi sui mortificationem. Naturam nactus erat peracrem ac fervidam; verum iugi sui-met ipsius victoria id assequutus erat, ut mitis evaderet ac mansuetus sic ut natura patiens ac lentus existimaretur. Non defuerunt qui illius famam mordacius carperent, et de rebus ab ipso pro Dei gloria et animarum salute gestis, palam atque impudenter obloquerentur. Ipse vero exemplum mansuetudinis Iesu Christi propositum habens, obloquentium iniurias non solum aequo sed hilari etiam animo tulit. Quo quidem cum hominum genere, modestia semper ac patientia sibi esse agendum ac quodammodo certandum existimavit.

XII. Otii fuit osor acerrimus. Nunquam non agebat aliquid; domi forisque semper occupatus. Quod supererat temporis ab eius prope assiduis occupationibus, aut flexis genibus in templo aut cubiculo clausus, totum orando meditandoque extrahebat. Atque orationi quidem apprime deditus erat: haec illi quies, haec otium, haec laborum solatium ac levamentum quamdiu vixit. Verum ante tempus ut supra diximus ad supernam sempiternamque quietem evocatus est. Ea enim aetate obiit, qua poterat per aliquot annos nisi mors intercessisset, in vinea Domini strenue naviterque laborare.

XIII. Vix tentari morbo coepit qui ei vitam abstulit, Patrem arcessivit quem sibi a confessionibus delegerat, rogavitque ne se in extremo discrimine constitutum desereret: quod autem ad conscientiae suae labes eluendas attinet, nihil sibi occurrere affirmavit quo magnopere commoveretur; se nempe in singulis confessionibus minima quaeque illi aperire consuesse, quibus vel levissime divinam a se laesam bonitatem existimasset. Hac animi tranquillitate p. Camillus adventantem mortem excepit. Inter varias alternantis morbi vices mirum in modum eius eluxit animi moderatio. Neque enim in spem recuperandae valetudinis unquam veuit, neque quidquam de pristina sua tranquillitate remisit.

XIV Ad cumulandam servi sui patientiam multa Deo sic permittente evenerunt, quae cuius potissimum culpa evenerint non facile dixerim. Illud certum est et sine ulla dubitatione affirmari potest, ue verbum quidem excidisse p. Camillo quo vel leviter de aliena incuria conqueri videretur. Sed erumpente tandem morbi vi et supremum exitium minitante, sacrosanto Christi viatico refectus est. Quo sumpto nihil cupidius exspectabat ardentiusque exposcebat a Deo, quam dissolvi et esse cum Christo. Haec erant p. Camilli morientis vota, sed alia longe ab his diversa fovebat amantissima civitas. Nihil sive publice sive privatim praetermissum est, quo cives omnes coniunctis precibus, pretiosam adeo vitam et toti civitati maxime salutarem a Numine exorarent. Proposita concurrentium adorationi divina hostia in aede principe, eo ingens concursus factus est omnium ordinum, precibus et lacrimis p. Camilli vitam exposcentium. Sed plus apud Deum incensa aegrotantis patris vota quam piae civitatis preces valuerunt. Itaque sacro oleo inunctus atque il-

lud psalmi summa devotione iterans; *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, placidissime obiit die octavo martii anno MDCCLIV, annos natus quinquaginta septem, quorum septem et triginta in societate snmma cum laude et sanctitatis opinione traduxerat.

XV. Vix de eins obitn fama percrebnit, dici non potest quanta fnerit totins urbis commotio. Certe non doloris minns qnam existimationis tot ac tanta edita fuerunt signa, qnanta de paucis vel sanctissimis viris annalium prodita sunt monumentis. Ad honestandum benemerentissimi Patris funus, non solum tota civitas convenit, sed certatum est inter ipsos ordines civitatis, quis in declaranda erga defunctum Patrem sanctitatis existimatione primas ferret. Curato de more cadavere illatoque in ecclesiam, aegre a collegii patribus ei iusta societatis more persoluta sunt, templo vocibns concnrrentium ac clangoribus personante. Tantus enim concursus fnit ut prope tnmultns speciem exhiberet. Iustis peractis et submoto non sine snmma difficultate populo, sub vesperam cadaver dissectum est. Tum iterum sequenti die in ecclesiam primo mane importatum, quo multitudini quae amantissimi Patris adspectu satiari non poterat satisfieret, stipatum quidem multo satellite, sed qni aegre irruentem turbam submoveret.

XVI. Qnamqnam diligentissime ab iis ad quos spectat cautum fuerit, ne ullum publicum ederetur a populo testimonium quo defuncti Patris aliquo modo sanctitas declararetur, nullius tamen tanta esse potuit auctoritas quae ad absterrendos ab hniusmodi indiciis perusinos valeret. Sanctnm vulgo appellabant et ei prope uti sancto honores habuerunt. Igitur ecclesia magnificentissime nigris peristromati con-

vestita solemne sacrum a canonicis, adstante urbis episcopo, celebratum est adhibito musicorum cantu. Absoluto sacro, populus facto impetu in cadaver irruit et paene sacris indumentis spoliat, aliis aliud diripientibus et frustra satellitibus qui circumstabant feretrum, prohibere conantibus. Discerptae etiam vestes sunt distractaeque laciniae, capilli vero paene omnes praecisi. Postquam populi aestus deferbuit, cadaver humatum est duplici arca inclusum et interiore quidem duabus munita clavibus, quarum unam episcopus qui praesens aderat, penes se habere voluit, alteram duo a magistratu legati ad magistratum ipsum detulerunt.

XVII. Atque hi quidem honores publice habiti sunt p. Camillo. Privatim vero sodalitas opificum quam tot annos Pater rexerat, suae partis esse duxit nihil in honestando optimo moderatore publicis civitatis testificationibus concedere Iterum igitur magnificentissime funebri apparatu ornatur ecclesia, additis ad maiorem pompam facibus trecentis, quae tota ecclesia eleganter distributae ac collucentes mirum in modum pompam ipsam auxerunt. Et mane quidem iterum a canonicis non sine cantu musicorum solemne sacrum peractum est: minora sacra ad CXX celebrata. A prandio vero sub vesperam exposita publicae adorationi divina hostia et aucto maiorum facum quas sodales detulerant numero, ab episcopo benedictio impertita est confertissimo populo, qui ad celebritatem perinde convenit ac si primus hic honos defuncto patri habitus esset.

XVIII. At ne hic quidem amantissimae civitatis motus adquievit. Qui a Patre spiritualibus exercitiis exculti fuerant, ipsi quoque publicum observantiae et amoris erga eum edere documentum voluerunt. Eadem fere peracta quae supra re-

censuimus, nisi quod et splendidius ornata ecclesia, et in medio excitata funebris moles, adiectis ad latera pyramidibus quatuor, quae magnificum ad speciem mausoleum intuentibus exhibebant, auctior etiam uti minorum sacrorum, ita cerearum facum numerus fuit, concursus idem omnium civitatis ordinum, qui paene modum in honestando amantissimo patre tenere non potuerunt.

XIX. Quaedam etiam prodigia a Deo patrata narrantur ad declarandam servi sui sanctitatem. Inter alia ferunt Ioannem quemdam, disrupta qnae intestina sustinet foedum in modum pelle, brevi eo redactum ut certissime moriturus crederetur. Nam disruptionem pellis effectus ii consequuti sunt, qui imminentis interitus indicia a peritis iudicantur. Itaque desperata salnte et frustra medicorum adhibita opera, pannus sanguine servi Dei imbutus morituro applicatur. Quo facto praeter opinionem somnum cepit et somno post aliquot horas experrectus, nullum morbi vestigium inventum et aegrotus pristinae perfectaeque sanitati restitutus.

Aeri incisa est servi Dei imago cum hac inscriptione quam exhibemus:

P . CAMILLVS . PACETTI . SOC . IESV
REGVLARI . OBSERVANTIA
CONTEMPTV . SVI . ANIMARVM . ZELO
CVLTV . IN . DEIPARAM . EXIMIVS
OBIIT . PERVSIAE . VIII . MARTII
AN . REPARATAE . SALVTIS . MDCCLIV
AETATIS . SVAE . LVII

IOSEPHI MARIANI PARTHENII

AD SODALES SOCIETATIS IESV

IOANNIS MARIANI FRATRIS

ELLOGIVM

I. Verecundor equidem, post exhibitas vobis virorum e societate Iesu sanctissimorum vitas iampridem a me latine contextas, his fratris mei vitam sive ellogium attexere, qui nullo modo sit cum illis de quibus scripsi comparandus. Verum cum eius virtutes mihi propono, cum vitam integerrime actam, cum mortem pie ac sancte obitam considero, propemodum cogor castigare pudorem meum; susceptum certe consilium damnare non possum. Nam etsi cum illis comparari nequeat, ad illos tamen et studio pietatis et commendatione virtutis propius accessit. De fratre vero frater quod scribam, id exemplo Gregorii qui de fratre Basilio et de Macrina sorore, nec non Ambrosii qui de fratre Satyro et de sorore Marcellina scribere non dubitarunt, facere me si-

militer posse atque ulla sine reprehensione existimo. Fratres utique sancti de sanctis fratribus sanctisque sororibus scripserunt; sed hoc ab historico requirendum non arbitror, ut de sanctis viris scribens, sanctitate aeque excellat atque ii de quibus scribit. Satis, opinor, est si vere scribat atque historica plane fide scribat. His de causis ne fraternae virtutis memoria prorsus interiret et aliquid ad commune exemplum et imitationem exstaret, ea litterarum monumentis consignare visum est quae de Mariano fratre partim ego perspecta habui, partim ab iis qui eius contubernio usi sunt verissima accepi. Multo sane plura persequi potuissem, si una cum eo vitam agere contigisset; sed Deo aliter visum qui nos invicem dissociavit in hac vita, in altera ut confido consociaturus. Ab inita societate alter alterum nunquam convenit; unum tantum litterarum usurpatum adloquium, quo dissidium nostrum desideriumque solaremur. Scripturus igitur eius sive vitam sive potius commentariolum, ita fraterno obsequor amori ut in primis serviam veritati.

II. Natus est Pisauri die secunda octobris, angelis tutelaribus sacra anno MDCCXIV, ubi iampridem familia consedit. Eo enim Cremona unde originem ducit, ab avo Ioanne Baptista 1 traducta est, qui captus urbis pulcritudine et

1 *Fuit vir commemorabili pietate et singulari erga Deiparam Virginem studio, cuius lauretanam domum, dum vixit, vixit autem octoginta quatuor annos, Cremona digrediens, septuagies septies, ut in imagine scriptum est, visitavit. Egregie etiam de eadem sanctissima domo meritus, eius Procurator Generalis honorificentissimo fuit diplomate constitutus.*

frequentia illic stabile Philippo filio parenti uostro, domicilium constituit. De Anna Maria Caecilia matre nihil hoc loco dicam, propterea quia de eximia eius probitate editum iam a me exstat commeutariolum, ut hac etiam de causa filii laudes cum materna laude coniungere libuerit, ne quos uatura tam arcte adstrinxit et multo arctius virtus colligavit, in virtutum commemoratione separarem.

III. Transacta Pisauri infantia, Cremonam ineunte pueritia a patre de liberorum iustitutione vehementer sollicito, missi fuimus, educandi sub optima Andreae patrui viri sauctissimi disciplina. Parens autem cum uos Cremouam misit, non tam avitae domus, quam, et vero etiam praesertim, collegii societatis Iesu opportunitatem qua Pisaurum carebat sequutus est, ubi ad omnem pietatem ac doctrinam ab iis ipsis a quibus ipse edoctus fuerat, erudiremur. Quo patris consilio uihil nobis fuit nec vero esse potuit salutarius, ut maximas Deo habere gratias debeamus, quod antę tanto bono quam iusto Dei iudicio mortalibus esset iuterceptum, frui potuimus.

IV. Dati igitur ambo in patrum societatis Iesu disciplinam vix fuimus, dici uou potest quantos ille tum in pietate, tum in doctrina processus effecerit. Quod ad pietatem attiuet, tanta iuuocentia vixit, tauta integritate morum, ut aetatem maxime lubricam gravi ulla sine prolapsione traduxerit. Maximum certe ac prorsus singulare innocentiae documentum. Neque vero hanc solam vitae partem, sed totam ad extremum usque spiritum vitam eadem animi integritate trasegit, quod ipso extincto conscientiae eius moderatoris testimouio confirmatum est. In prima aetate uihil in eo puerile, nihil non ad gravitatem modestiamque compositum, ut

iam tum coniici posset qualis eadem progrediente esset evasurus. Mihi certe fratris exempla quae proposita quotidie ob oculos habebam, summo ad virtutem omnem fuerunt incitamento; quibus utinam quantum debuerim profecissem.

V. Inter ceteras virtutes singulare in eo eminuit erga Deiparam Virginem studium, quo a pia matre ambo ab infantia imbuti fuimus. Quanquam ad hoc ipsum studium plurimum etiam contulit patrui disciplina qua effectum est, ut nulla concessa vacatione, Marianum sodalitium celebraremus in quo pietas erga divinam matrem alitur ac fovetur. Singulare est quod subiicio et minime reticendum. Totos octo annos quibus ambo florentissimum illud societatis gymnasium celebravimus, mihi semel tantum vacatio indulta a sodalitio fuit et fratri ne semel quidem, nulla neque imbrium, neque ventorum, neque nivium, neque hyemis, quae in Insubria frigidissima est, ratione habita. Ad eamdem disciplinam et pium studium revocandum est, quod eodem iubente et saepe deducente sacra Deiparae templa frequenter adire coepimus, quem ego morem semper retinui.

VI. Quod vero ad doctrinam spectat, quo summo praeditus erat ingenio, quidquid tradebatur, quam citissime arripiebat, ut condiscipulos longe et discendi celeritate et acumine intelligendi superaret. Paene puer odam saphicam scripsit quae prope habita prodigio fuit, et Pisaurum ad patrem missa tanquam singulare eius ingenii specimen ac documentum. De facultate quam ad omnem in omni doctrina excellentiam a natura nactus erat, plura in exordio libri V epistolarum mearum quas ad eum scripsi, sum prosequutus; ex quibus intelligi potest quam miros in omni facultate processus fuisset facturus, nisi valetudo qua semper imbecilla usus

est impedimento fuisset, et primum illum iam ab adolescentia institutum cursum non repressisset modo, sed etiam praecidisset.

VII. Hac pietate et ingenio cum esset, animum ad ineundam societatem adiecit, eodem fere tempore quo ego de eadem vitae ratione capessenda cogitabam. Interea exacto a me philosophiae curriculo, ab eo autem nondum perfecto, Pisaurum visendorum parentum causa ambo remeavimus, ubi ad aliquot menses commorati sumus; quibus elapsis ego Romam societati Iesu nomen daturus profectus sum, ille Cremonam philosophiae confecturus curriculum reversus est. Ego vero in societatem admissus qui probe consilii ab eo suscepti conscius eram, hortatu p. Francisci Piccolominei, viri sanctissimi meique in tyrocinio institutoris, cuius erga me insignibus promeritis nunquam pares habere potero gratias, illum Romam invitavi, ubi multo celerius quam in provincia mediolanensi, in qua aditus in societatem propter recens pedemontanum edictum quo societati gymnasia adimebantur, si non obstructus certe minus patens erat, voti sui compos fieri posset. Sed p. Ignatius Vicecomes tunc ei provinciae, post universae societati praepositus, id quod agitabatur suspicatus, eiusque eximiis dotibus captus moras omnes abrupit, et confestim in societatem admissum provinciae suae sodalem adscripsit die IX octobris anno MDCCXXXII.

VIII. In tyrocinio earum virtutum fundamenta iecit, quibus postea *spirituale* aedificium super exstruxit quod non ad vulgarem celsitudinem fastigiumque provexit. Absoluto tyrocinio, iterum philosophum audivit et interceptum philosophiae cursum absolvit. Huic facultati cum studeret, nimia

sciendi cupiditate accensus studium mathematicae et linguae graecae coniunxit, et huius quidem ita, ut graecas epistolas properante calamo recte scriberet et graecos apices eleganter efformaret. Ex hac tanta tamque exaggerata contentione afflicta prorsus eius valetudo fuit doloremque capitis contraxit, quo se toto vitae suae tempore liberare non valut. Ab his studiis, more apud nos recepto, primum grammaticam docuit, deinde Cremonam missus est rhetor. Ibi vix demandatum munus suum inchoarat, lethali morbo correptus est ut ego eum pro mortuo luxerim; sed uberrimus repente consequutus sudor et illum ab instanti discrimine eripuit et carissimum fratrem ab interitu vindicatum mihi restituit. Verum tanta debilitatio virium consequuta est, vix ut aegre posset consistere. Quare ego cui fratris valetudo summopere cordi erat, datis ad p. provinciae praepositum litteris, illum rogavi ut eum alio minus laborioso gymnasio praeficeret, ubi paucos discipulos minima qua fieri posset et animi et virium defatigatione erudiret. Humanissime ille quidem respondit, facile se ei posse ab omni munere vacationem indulgere, sed eum paucorum discipulorum gymnasio quod ego postulabam, praeficere nequaquam posse, propterea quia omnia in tota provincia quam refertissima essent et summa discipulorum frequentia celebrarentur.

IX. Ille vero oblatam vacationem aversatus concessu provincialis Mediolanum se contulit, ubi theologiae operam daret. Porro in hac facultate adeo praestitit, ut in affluenti optimorum ingeniorum copia eminuerit. Hoc praecipua ei delata munera declararunt. Verum haec cum summam contentionem requirerent, et moderatorum concessu et rogatu meo qui verebar ne eius in dies valetudo deterior evaderet, his

nuncium remisit, quo omni onere levatus uni theologiae vacare posset.

X. Solemnem professionem edidit ut ego die II februarii, purificationi B. Virginis sacra, sed uon eodem anuo. Ipse anno MDCCXLIV; ego vero duos ante aunos. Ab emissa professione et secundo confecto tyrocinio, valetudine impeditus alium ab illo qui ei ob praestans ingenium et excellentiam doctrinae patuisset, cursum tenere coactus est; totumque se urgendae proximorum *saluti* dedidit. Itaque et habendis concionibus et expiandis sacra confessione animis omuique ope iuvandis uberrimo non sine fructu vitam omnem impeudit suam, uon laboribus, non vigiliis parcens, affecta semper valetudine et assiduo quo laborabat dolore capitis conflictatus; quibus incommodis nunquam adduci potuit, ut cessandum et sibi quidquam iudulgendum putaret.

XI. Primis annis Bormium missus fuit. Bormium est oppidum caput uuius ex septem Helvetiorum liberis regiouibus, quae recepto vocabulo *Cantones* appellantur, in asperrimis moutibus situm, aditu prope inaccessum et perpetuis fere iu nivibus consepultum. Deficientibus conterminis regionibus a catholica fide, uon solum ab ea uon descivit sed ei perpetuo adhaesit, opera praesertim uostrorum patrum, qui malam pestem vigilantia sua ab oppidanorum animis averterunt. Ibi domicilium societas habebat; verum cum illud tum propter caeli inclementiam, tum propter summam egestatem deserere cogitaret, magna confestim fuit proximis regionibus iniecta spes fore, ut iesuitis abeuntibus facile ad eamdem defectionem finitimi Bormienses attraherentur. Quod ubi a nostris auditum est, cousilium damnarunt et perstare in loco, quaecumque subeunda esseut incommoda, decreve-

runt. Eo igitur missus aliquandiu in illa statione mansit non libentissime solum, sed in eadem nisi aliter moderatoribus visum esset perpetuam sibi commorationem elegit. Hoc autem quanti faciendum sit, qnivis aestimare potest, quod florentissimae provinciae adscriptus concludenti ambitu suo nobilissimas urbes quae certe ipsi patuissent, ut postea patuerunt, celebritati solitudinem, nobilitati urbium oppiduli humilitatem, rerum omnium copiae summam inopiam praetulerit.

XII. Epistolam hac snper Bormiensi commoratione sua ad me conscripsit, dignam sane quae saepius legeretur et summa diligentia custodiretur. Custodita autem separatim a me quam diligentissime et diutissime fuit; sed nescio quomodo aut inutilibus permixta chartis, aut proximo absorpta naufragio periit. Huius iacturam fateor aegre tuli; nihil enim scribi potuit neque disertius neque ad communem quam appellamus *aedificationem* conducentius. Praeter graphicam regionis descriptionem moresque gentis expressos, vetus illa sanctorum patrum qui Aegypti, Nitriae ac Palaestinae coenobia incoluerunt, disciplina sic exhibita legentium oculis obiiciebatur, ut propemodum tanto post tempore revocata et ad Bormiense collegium traducta videretur.

XIII. Vix igitur Bormium venit, incolarum omnium animos statim corripnit sibique mirum in modum conciliavit, quippe qui non curae, non diligentiae, non laboribus ullis unquam pepercit, quibus eos quacumque ope posset iuvaret. Assiduus in templo, frequens in publico habendis utrobique concionibus, et totus in eo ut omnes ad omnem christianam institutionem erudiret atque formaret. Dubitari non potest, quin fructus labori et iactae sementi seges cum foe-

nore responderit. Verum cum nihil tale cogitaret sic inbentibus moderatoribus, carissimam stationem relinquere et Bormio discedere coactus est; discedens antem summum sui desiderinm reliquit eiusque abitum nemo non aegerrime tulit

XIV. Bormio digressus Cremonam se contulit, illi collegio a moderatoribus destinatus, ubi more nostro diebus festis concionaretur. Auditus est summa et electissima frequentia, nec sine admiratione. Et ea quidem Cremona urbs erat, quae de oratoribus certum ferre iudicium poterat, doctis abundans viris e iesuitarum disciplina profectis, quae cuiusmodi fuerit, ego ipse expertus testis idoneus esse possum. Neque vero hoc cuiquam minus credibile videri debet. Sic enim dicebat ut ab eo neque doctrinam, neque eloquentiam requireres, quae dno sic in illo eminebant, ut snmmi oratores quibns si unquam alias provincia Mediolanensis, his certe temporibus maxime floruit, illum suspexerint et concionum suarum cognitorem emendatoremque adhibuerint. Hoc mihi ii ipsi qui eius opera usi sunt affirmarunt, disertissimi totaque Italia celeberrimi oratores. Ille vero non de vana quadam sive doctrinae sive eloquentiae captanda opinione laborans, illud unum propositum semper habuit, ut anditores sui meliores fierent, atque alii plane sive boni sive mali ac venerant, reverterentur. Hoc autem efficere divina adspirante gratia, ei facile fuit qui quod ipse persuasum habebat, aliis non difficili negotio snadebat, in qno tota sita vis est cum omnis eloquentiae, tum praesertim eius quae ex evangelico fonte petita ad proximorum salutem utilitatemque derivatur.

XV. Aliquot Cremonae annos commoratus Comum missus est, mutato quidem domicilio, sed eodem retento concionandi munere. Ea in urbe usque ad obitum mansit, in qua

et siugularis doctrinae et uon vulgaris sanctitatis opinione floruit. Diuturnior commoratio effecit, ut eius apostolicum munus latius ad plurium utilitatem se diffunderet eiusque virtutes magis in dies ac magis exsplendescerent. Nullum enim hominum geuus diviua qua flagrabat caritate complexus uou est; summum, medium, iufimum; sacras Deo dicatas virgines; ecclesiasticos ipsos; singulis vero ordinibus separatim suam cuique propriam culturam adhibuit. Ipse urbis autistes qui uunc viveutis decessor fuit vir plane sauctus, sibi illum animi sui moderatorem elegit et cousiliarium adscivit; quo factum est, ut iucensum eius omuibus iuvaudi studium lougius pertinuerit et totam quam latissime patet dioecesim comprehenderit.

XVI. Nullam porro curaudae proximorum saluti accommodatam ratiouem praetermisit. Re, studio, opera, cousilio omuibus praesto fuit. Illa vero quae uostri iustituti suut, frequeuter habere couciones, confessiones coutinuo excipere, sacras sancti Patris uostri commentationes et publice et privatim propouere, aegrotos iuvisere, morientibus adesse, carceres, uosocomia celebrare aliaque huiusmodi, praecipuam eius operam sibi vindicaruut; quibus muneribus obeuudis parem semper attulit et alacritatem et assiduitatem. Divinum sacrificium summo maue celebrabat, quo expeditius proximorum saluti vacare posset. Iu excipieudis confessiouibus octo, uovem et decem continenter perstabat boras. Aegrotantibus et morientibus assidebat assiduus, omuibus eos caritatis officiis iuvabat, ut vulgo evocaretur et uemo se nou felicem putaret, cui illum iu summo discrimiue coustituto praeseutem habere coutingeret. Hoc autem iu eo mirabilius exstitit, quod cum parem valetudiuem propter gravia quae

supra diximus incommoda afferre non potuerit, nihil tamen unqnam de tanta assiduitate et contentione remiserit.

XVII. Quamquam haec laus non tam illi propria, quam cum reliquis illius collegii alumnis pro sna cuinsque parte communicanda, navis oppido ac strenuis in vinea Domini operariis. Provinciae enim mediolanensis praefectns hanc eis laudem tribuit, mihique affirmavit cum Romam venit ad conventum generalem, in quo p. Laurentius Riccius toti societati praepositns est renunciatns, se tota perlustrata provincia, nullum reperisse collegium in quo magis regnlaris disciplina vigeret, sociique inter se arctiori caritatis vinculo adstringerentur et sua quique munera diligentius obirent. Hoc ipsnm crebrae ad me a fratre conscriptae litterae confirmarunt.

XVIII. Nec mirnm: electissimis enim collegium illnd constabat sodalibns, in quibus Ignatius Veninus, Iosephus Martorinus et Nicolaus Ghezzius eminebant; atque hic quidem cum vir valde pius, tnm editis in diverso doctrinae genere libris celeberrimus. Martorinns vero singulari doctrina, insigni prndentia et eximia sanctitate praestabat, cni p. Aloisius Centurionus praepositus generalis praeclarnm illnd, cum de eo mecum loqueretur testimonium dedit, qnod delatum a p. Mntio Vitelleschio praeposito item generali p. Nicolao Zucchio in eius ellogio legimus: nimirum in societate universa neminem inveniri qui spectatis coniunctim omnibus, ei videretur anteponendus. Veninus autem orator plane summns in praecipuis Italiae urbibus singulari doctorum omnium assensn auditus est. Novo enim quodam eloquentiae genere excelluit. Ego vero ne qnid dissimulem optassem ut communem ad doctorum virorum assensnm vulgi etiam

et popularis adprobatio accessisset, quae duo coniungit Cicero, cum nobis perfecti oratoris imaginem exhibet formamque proponit.

XIX. Sed ut ad fratrem revertar, laborum assiduitate et contentione rursus lethalem in morbum incidit. Ut enim spiritus promptus esset, caro tamen infirma tantam ferre contentionem non poterat. Hic vero dici nequit quam effusa in eum Martorini tunc rectoris caritas fuerit, sic plane ut ei uni illa qualiscumque restituta aegroto gravissime laboranti et vita periclitanti sanitas deberetur. Hac utcumque recuperata, ad pristina munia rediit impiger ut antea ac laboriosus, nihil optans magis quam ut in obeunda suorum functione munerum mortem oppeteret. Sed haec quam semel et iterum instantem supremumque ictum minitantem adspexerat, ei dilata fuit, et vita Deo sic disponente producta quoad usque ipse quoque communis calamitatis et spectator et particeps esset, quae calamitas ei quavis morte acerbior fuit.

XX. Verum non ita de proximorum salute sollicitus fuit ut propriae securus esset. Orationis studio apprime deditus plures in ea extrahebat horas. Summo mane surgebat e strato et divinum multo ante sacrificium celebrabat, quam dato signo omnes de indicta omnibus rerum caelestium commentatione admonerentur. Legibus nostris diligentissime paruit nihilque magis cavit quam ut ne quidquam, quod illis minus consentaneum esset, faceret. Voluntatem moderatoris, iuxta s. p. Ignatii praescriptum, duxit suam. Nihil illo vel inconsulto vel inscio vel non consentiente sibi licere arbitrabatur. Qua de re solebat ad me identidem scribere, si quid huiusmodi incideret quod sibi concedendum a praeposito generali putaret, ut ei facultatem ab illo impetrarem. Quare

et recte institutae vitae ratione et constanti eiusdem tenore, quoad coniunctim vivere carissimis cum sodalibus licuit, domesticis omnibus et exemplo fuit et incitamento.

XXI. Consequuta est calamitas quae societatem subvertit. Itaque emigrare e collegio et optatissimum contubernium relinquere una cum sociis coactus fuit. Tantam calamitatem moderate ut aequum erat ac patienter tnlit. Hoc autem non obstitit, quin eius animum intime pervaserit gravissimeque perculerit. Quod eius litterae plenae luctus et lacrimarum significarunt. Primis diebus recenti infortunio sic incessit attonitus, ut sibi vix constaret et sui compos neqnaquam esse videretur. Statim ab episcopo apud quem gratia et virtntis ac doctrinae existimatione valebat, plnra illi exhibita sunt solatia. Ei statim potestatem fecit concionandi, confessiones vel in templo societatis excipiendi, et omne hominum genus, ne exceptis quidem Deo dicatis virginibus, pristino more excolendi. Collata insuper in sacro foro amplissima iurisdictio fuit, nullis adstricta vinculis quae laxanda reservare sibi episcopi solent. His facultatibus nullo exemplo cuiquam e sodalibus ab episcopis in tota Insubria factis non parum relevari visus est. Publice ante ferias eius anni natalitias conciones habuit, summa auditus frequentia et approbatione; neque vero omisit reliqua quibus assueverat obire munera: sed animo altius inflictum vulnus haerebat quod recrudescens quotidie magis omnem prope respuit medicinam, ut reliquos vitae suae dies in summa aegritudine transegerit.

XXII. Plnrimum antem ad leniendum contulerunt litterae quas ego ad eum dedi, et in unnm separatnm volumen quod est mearum epistolarnm quintum, compegi. Sed nequidquam recurrebat animus ad ea quae moerorem auge-

rent angoremque exaggerarent. Quamquam non tam ei sese dedidit ut ad caelestia animum non erigeret, et ad ea quae instant homini novissima non adverteret. Sed hinc Deo sic permittente, non solatii sed nova aegritudinis et angoris origo emersit. Imminentis adspectus mortis, consequens districtum severissimumqne indicium, incertus aeternae salutis exitus, sempiterni sontibus constituti cruciatns continuo menti obversabantur totumqne horrore concutiebant, perinde quasi illis iam addictns esset. His in cogitationibus plures continenter haerebat horas, unde animus contractior fiebat, ut laxari nequaquam posse videretur. Atque haec eins epistolarum qnas ad me tunc scripsit fere materies erat, quae siccis oculis legi non poterant.

XXIII. Cessavit igitur a consuetis muneribus quibus vacare omnino non poterat, et novum vitae genns instituit, caritatis et patientiae documentum. Haec quae subiiciam, ab ipso eius hospite accepi aliisque qui eius consuetudine usi sunt, ut testatiora esse non possint et plane digna quae memoriae mandentur. Digressus e collegio nobili hospitio exceptus est; sed veritns ne ob male affectam valetndinem cuiquam periculo esset, hospitium bona hospitis gratia deseruit et in aliud immigravit. Ante vero quam ad stabilem hospitem diverteret, gravissima ei incommoda fuerunt toleranda. Duobus enim uno tempore diversoriis usus est, longissimo inter se intervallo dissitis, in quorum altero capiebat cibum in altero cubabat. Sed tandem aliquando eum hospitem nactus est qualem neque sanctiorem, neque sui amantiorem nancisci poterat, qui eum libentissime excepit et humanissime habuit. Hic fuit Dominicus Toja comensis civis ex medio ordine vir plane sanctus, a cuius contubernio quamdiu vi-

xit nou recessit, qui plures eius virtutes notavit et scripto commisit quas breviter persequar.

XXIV. Eius patientia iu primis laudatur quae praecepue enituit in fereudis quos diximus animi angoribus maximis et omni morte acerbioribus, quorum hospes testis fuit, qui infelicem eius vicem miseratus dici non potest quantum inde dolorem caperet. Nimirum sic illum exercuit Deus et *tamquam aurum in fornace probavit* ut quidqnid terrenae labis eius animo adhaeserat, igne tribulationis excoqueret. In tantis vero angoribus coustitutus nulla vox paullo asperior, uulla paullo acerbior conquestio, uullum denique ne vel minimum quidem animi minus divinae voluntati consententis indicium. Solatium amicis afferentibus fere responsum non dabat, sed sublatis in caelum oculis tacebat. Si quam vero emitteret vocem, quae patiebatur ea sibi merito sua ob scelera irrogari et mitius quam merebatur, a Deo secum agi affirmabat.

XXV. Duplex quod dixi diversorium incredibile dictu est quantam ei tolerautiae occasionem attulerit. Iutempesta nocte, frigidissima hieme, caelo pluvio, decidente uive, debacchantibus veutis post coenam ab nno pergendum erat ad alterum; quo fere adventabat aut imbre diffluens, aut nivibus obrntus, totis artubus contremiscens, ut vel solus hominis adspectus miserationem commoveret. Ipse vero laetus et alacer commiserantibus plura afferebat exempla sauctorum qui multo graviora passi erant, addebatque regnum caelolorum comparari sine tolerautia uou posse. Oblatum ignem quo se foveret et lectulum calefaceret recusabat, affirmans ita se uti erat glacie coucretus, velle cubitum ire et experiri num quiret somnum capere; si nequiret et tres conti-

nenter noctes ducere cogeretur insomnes, tum eo levamento usurum.

XXVI. Succedit caritas quae princeps virtutum est et in qua maxime excelluit. De caritate erga Denm nihil dicam propterea qnia ex dictis coniici potest. De caritate erga proximnm dicam quae ex eodem fonte proflnit. Liberalitas erga pauperes pro facultatis modo eximia plane fuit ac singularis. Oblatam pro divino sacrificio eleemosynam accipere non rennebat quam continuo in panperes distribueret. Rogabat aeditunm, ut sibi minutos obolos numeraret quo pluribns satisfaceret. Hospitem snnm sibi constitnerat, ut aiebat, *thesaurarium*, cuius opera ut ipse lateret ntebatur. Hic vero testatur non vulgares a se elargitas snmmas. Nescio cui inopi nt aliqnid stipis erogaret superarat: nummus argenteus erogatus; ut rescivit anrenm, inqnit, submittito: scito valde misericors ac liberale erga panperes cor a Deo mihi esse tributum. At enim tibi nihil reliqui fiet: non moror, subdidit, nec abnno quin rebns omnibus exspoliatus in uosocomio migrem e vita. Valens erat vetulis ac panperibns genitoribus filius, cuius labore snstentabantnr. Hic in morbnm incidit et semel iternm ac tertio in nosocomium admissus et totidem vicibus tanquam sanitati restitntus ab eo dimissus, nunqnam tamen recte convaluit, quin rursus morbo quem contraxerat tentaretur. Curam ipse suscepit et snmptu sno aegrotanti medicamenta et medici operam nec non cibum quo electiore aleretnr, suppeditavit. Hac ope recreatns aegrotus perfecte convaluit, vires recepit et pium parentibus labore suo praestare officinm potnit.

XXVII. Aliud insigne caritatis docnmentnm subiiciam et eo libentins quia vaticininm adinnctnm habet quod fra-

tris sanctitatem confirmat. Ronchetus clericus erat principis ecclesiae famulatui addictus, sed pauper admodum et nulla spe ad ulteriorem gradum progressus. Hic forte divinum celebranti sacrificium se ministrum praebuit. Absoluto sacrificio, quo pergeret et quid acturus esset rogatus, respondit, pergere se ad exscribendas pagellas musicas qua industria sibi et pauperibus parentibus victum quaereret. Quin, inquit, latinae linguae et musicae studes, quae studia tibi profutura erunt et quorum subsidio ad sacerdotium evades? Hoc autem valde asseverans affirmavit inculcavitque. Libenter equidem, reposuit ille; sed qui possum cum mihi pecunia non suppetat parando necessario ad musicam addiscendam instrumento, et quotidie egestas iustet mihi et parentibus alimenta comparare? Bono animo sis, retulit frater, nulla difficultas est quae superari non possit; de instrumento musico sollicitus esse ne velis; meo sumptu tibi suppeditabitur; et continuo pecunia pro eo emendo persoluta. Ne longum faciam, vaticinium adseruit eventus. Post aliquot annos ita rerum vicissitudines tulerunt, ut Ronchetus praeter omnem spem et aedituus esset constitutus et sacerdos consecratus. Generatim affirmari potest, nullum ab ipso a se inanem dimissum fuisse inopem, omnes aliqua stipe recreatos. Nubilibus puellis non tenues summas impertivit quo honesto matrimonio collocarentur. Omnibus omnia denique factus, nemini re, consilio et quacumque potuit ope, defuit. Haeredi quem appellant fiduciario pauperes eosque egentiores enixe commendavit quos et haeredes instituit.

XXVIII. Quod ad reliqua pertinet, sobrius admodum in victu fuit: fere vino abstinuit, aut modico, iuxta praescriptum Apostoli usus est. Hospitis mensae accumbens, si quis

exquisitior cibus apponebatur, gustare renuebat nisi eiusdem convivae reliqui pro rata portionis participes fierent, victu communi contentus. Comis et urbanus in quotidiana consuetudine, hilaris interdum et festivus, exceptis dumtaxat annis quibus illis quos diximus animi angoribus conflictatus est, quos totos in moerore ac gemitu transegit. Quamquam a natura ad gravitatem potius quam ad hilaritatem comparatus erat. Morborum quibus assidue obnoxius fuit diuturnitas eum ad extremam usque maciem redegit, ut pelle tantum et ossibus constare videretur. Prope miraculum habitum est tantos tam alacri animo ac tanta et nunquam intermissa contentione labores ferri ab eo potuisse. Stupebant omnes et animi vim corporis infirmitatem sustentantis mirabantur. Sed tandem aliquando ei cessit atque ad extrema devenit.

XXIX. Quamquam negari non potest, quin communis calamitas eius vitam contraxerit, quam rebus integris longius produxisset. Hic vero non est reticendum quod mirifice valet ad ostendendam Dei alternantis providentiam qui *deducit ad inferos et reducit.* Aliquot ante obitum mensibus respirare a suis angoribus coepit, Deo tandem aliquando servi sui vicem miserante. *Increpavit ventis et facta est tranquillitas magna.* Cessavit aestus, tempestas conquievit, reddita animo quies, pax consequuta. Atque hanc quidem insperato oblatam sic accepit ut ei instantis lethi indicium fuerit, quo solutiore ac pacatiore animo se ad obitum compararet. Et sane non ita multo post contractus nescio qua de causa morbus, sive potius intestini quibus laborabat morbi facto agmine et uno impetu erumpentes eum brevi in summum discrimen adduxerunt. Frustra evocati medici, nequidquam

adhibitae medicinae. Desperata valetndine aegrotans, de una salute aeterna sollicitus, ad illam unam curas omnes cogitationesque convertit. Tridnos qnos appellant indixit duos; unnm ad Christi crucifixi simulacrum; alterum ad Virginis effigiem a doloribns nnncnpatae, quae summa Comi religione coluntnr. Ut ab hospite intellexit orationem recitari *pro infirmo* valetndini restituendo, iussit illam snbstitui pro *remissione peccatorum* illius negligens, de hac una anxius ac laborans.

XXX. Qnamdiu aegrotavit tamdiu virtntum omnium edere documenta non destitit. Dolores qnibus acerbissimis cruciabatur patientissime toleravit; hos sibi et peccatis suis debitos affirmabat. Aegrotanti assidne pius hospes adstitit, nec ullnm caritatis officium omisit. Exhaustis prorsus viribns afflicto corpore deficiente spiritn moveri vix poterat nulla tamen emissa vox quae doloris acerbitatem indicaret; verba omnia divinae voluntati de se ita statuenti congruentia. Cum acrius et vehementius torquebatur, illa Augustini usurpabat: *Domine... hic non parcas, ut in aeternum parcas.* His aliquantum remittentibus relinqui solns amabat, animo interim in caelestium contemplatione defixo et ad snpernam patriam erecto, quo bonae spei plenus se perventurum non dubitabat. Saepe imagines Christi crucifixi et B. Virginis cruci adstantis osculabatur, a quibus nequibat nec oculos amovere nec cor avertere. Demum summa religione snsceptis omnibus sacramentis quibus procnrari morientes solent, assidente lecto P. Iosepho Gazzano quo conscientiae moderatore usus erat, non tristatus mortis aspectu sed consecntnrae sortis praescins, innocens uti vixit excessit e vita. Obiit XXIX Ianuarii anno MDCCLXXVIII. Elatus est non vulgari pompa funeris;

fanns aliquot prosequentibus honoris gratia sodalitatibns. Exsequiae celebratae in templo s. Fidelis, et corpus in ipso canonicorum sepnlcro tumulatnm. Honestata insnper mors ellogio sane luculento et in ephemeride florentina ad perennem eins et sanctitatis et doctrinae memoriam vnlgato.

XXXI. Haec habui quae de fratre meo scriberem vobisque potissimum inscriberem, sodales carissimi, qui toto orbe dispersi invicemque distracti, sanctissimam disciplinam desideratis et tot bona una cum ea lugetis amissa, nihilque a Deo magis exposcitis, quam ut dispersos nos iterum colligat pristinumqne in statum restituat. Ego vero confido fore nt bonum Nnmen tot bonorum precibus nt ita dicam defatigatum et tandem aliquando pro sua clementia exoratnm, nos respiciat votorumqne nostrorum compotes faciat. Quae vero accidernnt, tametsi gravissima ac luctuosissima sunt, ea tamen non ad gentis nostrae interitum accidisse, sed ad *correptionem* evenisse nostram certissime teneamus. Interim *praestolemur cum silentio salutare Dei* quod profecto aderit, et nos non tam ista spe atque exspectatione quam sanctissimis sodalinm nostrorum exemplis consolemur, quorum nunc bene multos ut eorum perscriptae virtutes declarant snperis transmisimus, qui tanta calamitate non afflicti sed erecti, nihil minus alacrins institntum ad caelestem patriam urgere iter perstiterunt, ut si imminutam hic societatem lugere cogimur, eam certe laetari anctam esse in caelo amplificatamque debeamus.

ILLVSTRIVM
E SOCIETATE IESV ITALORVM
QUI HOC SAECVLO MDCC
SANCTITATIS OPINIONE
FLORVERVNT ET DECESSERVNT
ELLOGIA

I.

Iosephus de Alexandro Vezini in Sicilia natus duo mirabiliter coniunxit quae non nisi summa cum difficultate copulari videntur posse: leuis erga alios supra quam credi possit in se vero prope crudelis. Instrumenta quibus ad suum corpus in servitutem redigendum utebatur plane horrenda erant. Ferreis suberi insertis acuminibus non tam sua membra cruentabat quam lacerabat; et sua non contentus aliorum operam ad huiusmodi lanienam adhibebat. Tot corporis macerationibus et laboribus pro salute animorum susceptis consumptus illa usurpans: *Domine pati et contemni pro te*, obiit die XXII decembris anno MDCC.

II.

Lucas Rota Firmi in Piceno natus societatem amplexus in ea vixit sine querela omnibus carus propter morum suavitatem, ab omnibus propter singulares virtutes magna in veneratione habitns. De eo ad Praepositum Generalem in haec verba scriptum est; *nunquam curarum ac negotiorum varietate impeditus est quin assiduas confitentibus aures praeberet*. Tres virtutes in eo praeeipue enituerunt; contemptus sui, zelus animarum, studium erga B. Virginem singulare cui etiam nobile sacellum collatis piorum eleemosynis in templo societatis construxit. Plenus annorum et meritornm diem supremum obiit Senis die XXV iunii anno MDCCII.

III.

Vincentius Maria Verdinus panormitanus eximius B. Mariae Virginis et s. Ioachimi patris eius cultor, vita in saeculo innocentissime acta sanctissimeque in societate transacta, cum annum ageret vigesimum tertinm in Monte Regali migravit in caelum die I ianuarii anno MDCCIII. Singularia eius merita cum adhuc viveret insigni prodigio tabulis publicis consignato Deus testatus est.

IV.

Carolus Ambrosius Cataneus mediolanensis societatem amplexus concionator egregins et vere apostolicus evasit;ab

omnibus avide semper auditus, non sine ingenti auditorum fructu quem eius opera saepius recusa perennant. Quam a natura nactus erat robusti corporis habitudinem assiduis laboribus pro salute animorum et divina gloria susceptis attrivit omnino et consumpsit. In suis scriptis adhuc superstes eamdem animarum salutem curare et Dei gloriam promovere vel extinctus dici iure ac merito potest. Obiit Mediolani die XIX novembris an. MDCCV.

V.

Stanislaus Maria Pilius nobilissima familia Panormi natus sed virtutibus multo nobilior, ad societatem Iesu a Deo vocatus durum cum patre qui a se primogenitum suum avelli aegerrime patiebatur certamen sustinuit; quo superato victor in societatem ingressus est. In ea non diu vixit sed morae brevitatem religiosissimae vitae exemplo et perfectionis studio abunde compensavit. Morti proximus tentatus a daemone qui se illi videndum praebuit, impurum aggressorem invicte repulit ac superavit: mox praesentia B. Virginis et infantis Iesu quasi reportatam victoriam gratulantium dignatus placidissime obiit Panormi die XXIV maii an. MDCCVI.

VI.

Carolus Gregorius Rosignolius in oppido Burgi Mainerii novariensis dioecesis honestissimis parentibus natus, editis libris celeberrimus mortem anteactae sanctissime vitae re-

spondentem nactus est. In eo articulo constitutus illud affirmare ingenue potuit, se toto vitae suae tempore nihil nisi de Deo de B. Virgine Maria ac de sanctis ea conditione cogitasse ut illi de se morti proximo vicissim cogitarent: quare de sua aeterna salute minime sollicitum esse quam iamdiu et Deo et B. Virgini et sanctis commisisset. Plenus optimae spei decessit die V ianuarii an. MDCCVII.

VII.

Ioannes Michael Rosales ex clarissima tum in Hispania tum in Italia familia Mediolani natus et in societatem adlectus *consummatus in brevi explevit tempora multa.* B. Virginem Mariam insigniter coluit et impensius amavit. Tres annos tantum in societate transegit religiosae tamen perfectionis maturitatem adeptus. Obiit Mediolani in Collegio braydensi anno aetatis suae XXII die III ianuarii an. MDCCVII.

VIII.

Aloisius Costa nobilis placentinus singularem innocentiam singularis poenitentiae accessione cumulavit exemplo s Aloisii cuius nomen ferebat et mores referebat. Beatissimam Virginem impense coluit et carissimae matris loco semper habuit. Societatem Iesu ardentissime concupivit, sed morte praeventus qui societatem militantem in terris inire non potuit in eamdem triumphantem in caelo emissis votis, ut pie credere fas est, meruit cooptari. Placidissime obiit die XXX

aprilis an. MDCCVII haec verba usurpans; *Veni veni; festina festina*; quasi mortem invitaret quae sibi aditum ad caelestem patriam aperiret. Elatus est magna populi frequentia populo ipso illum sanctum inclamante.

IX.

Nicolaus Maria Capicius Piscicellus nobilissimo genere Neapoli natus et societati adscriptus talis evasit ut vir *potens opere et sermone* haberetur. Diversis praefectus muneribus *omnibus omnia factus ut omnes Christo lucrifaceret*, singulis egregie satisfecit. Inlibatum innocentiae candorem ad mortem usque custodivit. Integerrimam et laboriosissimam vitam Romae finivit die XV ianuarii an. MDCCIX.

X.

Camillus Maria Burghesius patricius senensis vita in saeculo integerrime acta iam sacerdos consecratus Romam pedes venit et ad tyrocinii ianuam constitit, certus inde non discedere quoad usque in societatem admitteretur. Admissus vir admirandae virtutis evasit sacris missionibus Latium, Sabinam, patrimonium quod vocant s. Petri atque Etruriam incredibili animarum fructu perlustravit. Summum in daemones exercuit imperium quos ab obsessis corporibus saepissime abegit. Prophetiae dono inclaruit. Ob vitae austeritatem inter rigidiores poenitentiae cultores recensendus. Decessit Politiani die XXVII aprilis an. MDCCX.

XI.

Peregrinus Manfredinus honestissimis parentibus Bononiae natus societatem Iesu cunctis religiosis ordinibus praeoptavit. S. Aloisii Gonzagae exemplo quem mirifice coluit mortificationi in primis deditus fuit. De se demisse admodum sensit; viliora exsequi domi ministeria in deliciis habuit. Morti proximus illa quae a s. Aloisio prolata feruntur hilaris et gestiens pronunciavit: *in domum Domini ibimus*. Admodum iuvenis obiit Faventiae die XVIII iunii anno MDCCIX dum ea in urbe pueros pietate ac litteris sedulo institueret. Audito eius mortis nuncio Ioannes Rasponus eo tempore faventinus antistes, *o iuvenem sanctum* exclamavit addiditque se eum vidisse nunquam quin sanctum sibi videre Aloisium videretur.

XII.

Ioannes Antonius Iannellius in oppido Novi ditionis genuensis ortum habuit. Emenso summa cum laude et proximorum utilitate religiosae vitae curriculo mortem laetus adspexit illud s. Aloisii exemplo ex psalmo davidico usurpans: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi in domum Domini ibimus;* et illa s. Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace:* quibus pronuntiatis placidissime quievit in Domino die II ianuarii an. MDCCXII.

XIII.

Hieronymus Centofiorinius Recineti nobili genere natus et duorum patrum Iulii Caesaris et Constantii quorum ob eximiam sanctitatem memoria perseverat in societate fratris filins, in societatem admissus totam fere vitam in sacris missionibus consumpsit, quas nudis pedibus incedens parcus in cibo obsoletis usus vestibns somnum brevissimum carpens ad annos XXX produxit. Plures obivit dioeceses ab episcopis certatim expetitus. Tandem Tossiciae Apuliae oppido in ipso apostolicae praedicationis obeundo munere pie decessit die XXV februarii an. MDCCXII.

XIV.

Fabius Mansius lucensis patriciae familiae primogenitus relicto saeculo societatem amplexus est. Plura in ea exercuit ministeria pari diligentia et fructu animarum. Virtutem obedientiae praecipue adamavit et honorificentiora munera non nisi ex eiusdem virtutis praescripto suscepit. In ipso praepositi Provincialis munere obeundo invisendisque de more collegiis, morbis quibus afflictabatur debilitatus laboribusque consumptus Senis decubuit, et ea in urbe die sacro Praesentationi B. Virginis quam impense coluit sanctissime decessit XXI novembris an. MDCCXII.

XV.

Iosephus Maria de Hieronymo frater coadiutor non longe a Torrento in oppido quod vocant *Cryptaleae* natus est. Ellogiornm omninm instar illa tria snnt; quod p. Francisci de Hieronymo frater fnit; quod eius sanctitas s. fratri maxime probata fuerit; et demum quod ab exacto tyrocinio magistri novitiorum socius adlectus ad mortem usque eo in munere perseveraverit. Ea qua praedixerat hora pie Neapoli vita functus est die IV ianuarii an. MDCCXIII.

XVI.

Simon Damianus frater coadiutor in oppido quod Cryptas s. Laurentii vocant natus et societati adscriptus, strenue admodum patribus in celeberrimo s. Francisci Xaverii romano oratorio pro salnte animarum diu noctuqne laborantibns totos quadraginta septem annos adlaboravit. Orationi deditus et mortificationi nullum nnquam solatium admisit; propriae perfectioni et salnti animarum impensins studnit. Plenus meritorum obiit in collegio romano die XXX decembris an. MDCCXV.

XVII.

Ioannes Baptista Ptolemaeus S. R. E. Cardinalis antiquissima et nobilissima Ptolemaeorum familia Pistorii natus se Deo in societate Iesu adolescens dicavit. Summam perspicacitatem ingenii singularem eruditionem et sacrarum facultatum scientiam plane eximiam virtute et religiosa perfectione longe superavit. Non nisi Clementis XI auctoritate impulsus et iussu adactus Cardinalium dignitatem accepit. In ea ita se gessit ut nihil de religiosae vitae studio remiserit. Summis pro ecclesía catholica exantlatis laboribus vivere desiit Romae die IX ianuarii an. MDCCXVI.

XVIII.

Ignatius Martinellius nobili genere Perusiae ortus, cum illa sibi inculcari audisset: *memorare novissima tua et in aeternum non peccabis* vehementer commotus, quo ea saepius recoleret et certius saluti suae consuleret relicto saeculo se Deo in societate devovit. De insigni hoc Dei servo illud omnium ellogiorum instar sit quod eo auctore et adiutore Rosa Venerina singulari probitate femina saluberrimum institutum puellas educandi Viterbii inchoaverit; quod quidem in multis Italiae urbibus ac dioecesibus incredibili animarum fructu et nunquam satis aestimanda sequioris sexus utilitate propagatum fuit. Clemens XI illud summopere collaudavit et Cardinalis Barberinus Montis Falisci episcopus ipsis semi-

nariis ubi pueri ad pietatem et bonas artes erudiuntur anteferre non dubitavit. Obiit Viterbii die XXIII iunii an. MDCCXVI.

XIX.

Annibal Marchettus nobili familia Maceratae natus, latine graece hebraice eruditus, missionem indicam expetivit: ea non obtenta se totum moderatoribus regendum permisit illud saepe usurpans *nihil petere et nihil recusare.* Diversis muneribus perfunctus infirma fere semper valetudine cui nullam nisi flagrorum et cilicii usum medicinam adhibuit, laboribus tandem ac morbo consumptus Florentiae obiit die XX ianuarii an. MDCCXIX. Cosmus III Magnus Etruriae Dux et idoneus sanctitatis aestimator allato sibi eius mortis nuncio hominem prolixe laudavit.

XX.

Franciscus Pepe societatis Iesu, amore in sanctissimam Triadem in Christum Salvatorem et in eius intemeratam parentem eximius: dicendi dono, libris editis, laboribus pro animarum salute ad mortem usque susceptis plane admirabilis. Obiit Neapoli die XXIX maii an. MDCCXIX aetatis suae LXXIV mens. II diebus II. Hoc autem ellogium ad verbum exscriptum ex eius imagine impressa Neapoli.

XXI.

Philippus Notus in oppido S. Mauri in Sicilia natus a prima aetate se vitae ecclesiasticae addixit. Sacerdos initiatus sacras habere conciones coepit sed maioris perfectionis studio incensus societatem ingressus est. Sacris missionibus destinatus incredibili fructu animarum in eo perstitit ministerio quoad ei per obedientiam licuit. Ad summam pervenit senectutem et votum quod adolescens emiserat se nunquam peccatum lethale admissurum sancte observavit. In extremis constituto cum sacrae unctionis sacramentum administraretur, eius corpus acutis catenulis ferreis non tam cinctum quam involutum apparuit. Sic fortis athleta se ad summum agonem armavit. Obiit Messanae die XXXI maii an. MDCCXXII.

XXII.

Ioannes Baptista de Comitibus nobilis Asculanus in ipso ineuntis aetatis flore societatem iniit in eaque sanctissime vixit. Summam doctrinam cum summo religiosae perfectionis studio coniunxit. Dilectus Deo propter singularem pietatem et innocentiam et hominibus propter comitatem et caritatem. Desideratus est in collegio romano die XX aprilis an. MDCCXXIII.

XXIII.

Andreas Alcenago Veronensis e collegio nobilium parmensi ubi adolescens institutus fuit ad societatem transiit. Philosophiae professor et missionem indicam cogitans, aegrotos in nosocomiis invisebat carceres obibat et sic indicae missioni prolndebat. Ea obtenta sed navigatione intercepta in Italia subsistere coactus, missionem indicam summis pro salute animarum quotidie suscipiendis laboribus et inexsaturabili quodam zelo abunde supplevit. Diem supremum obiit Venetiis die XX decembris an. MDCCXXIV. Eius mortem qui sibi omnes suis beneficiis demeruerat nemo non summi doloris significatione prosecutus est.

XXIV.

Ioannes Baptista Fridericus Panormitanus contempta praeclarissima generis nobilitate atque opulentia, societati adscribi voluit. Impetrata a moderatoribus indica missione in regno Maissur indiarum orientalium operam locavit suam per aliquot annos, ubi immodicis laboribus fractus apostolicae vitae cursum absolvit. In morte caelesti visione B. Mariae Virginis s. Franciscii Xaverii et ipsius Christi Domini recreatus illa usurpans *ad te venio bone Iesu*, spiritum Deo reddidit die XXX ianuarii an. MDCCXXVI.

XXV.

Vincentius Dondinus frater coadiutor societatis Iesu, honestis parentibus Florentiae natus in eo quem humilem in societate gradum tenuit reliquis fratribus adiutoribus forma factus, iis et obedientiae et orationis et humilitatis et devotionis et omnium virtutum exemplar praeluxit. Pictoriam artem quam secum cum in societatem ingressus est attulerat exercuit, sed non tam effingendis sanctorum imaginibus operam dedit quam ei perficiendae quam ad Dei similitudinem expressam in animo suo habere se noverat. Obiit Romae in domo professa die XII ianuarii an. MDCCXXXIV.

XXVI.

Aloisius Hyacinthus Ferrerius societatis Iesu, nobilissimo genere Augustae Taurinorum natus virtutem s. Aloisii Gonzagae et Ven. Ioannis Berchmans aemulator egregius, morum innocentia orationis studio exactissima regularum observantia praecelluit. Missionem indicam adeo expetivit ut de eadem precibus exoranda si per superiores liceret votum emiserit; sed immatura morte praeventus voti compos factus non est. Sanctissime obiit Mediolani in collegio braydensi indicae missionis desiderio magis quam lenta febri consumptus die XI octobris an. MDCCL aetatis suae an. XXII.

XXVII.

Franciscus Picenardius patricius Cremonensis sodalitatis Purificationis B. Mariae Virginis in collegio cremonensi institutae alumnus, s. Aloisium Gonzagam impense coluit et eius virtutes feliciter expressit. Mornm innocentia corporis afflictatione orationis studio summa erga parentes observantia claruit. Ad societatem Iesu vocatus, quum in eo esset nt saeculo valediceret ac Deo vocanti obtemperaret morte interceptus sanctissime obiit Cremonae pridie assumptionis B. Mariae Virginis, quam parentis loco vivens habuerat et dilexerat an. MDCCLIV.

XXVIII.

Ioannes Maria Cribellins patricia stirpe Mediolani ortus inita societate strenuus in vinea domini si quis alius operarins fuit. Populari eloquentia maxime floruit. In sacris missionibus fere totam religiosam vitam cum incredibili animarnm fructn exegit: B. Mariae Virginis cultum circumlata eius imagine mirabiliter amplificavit; s. matris Veronicae a Typherno nuncupatae moderator conscientiae quoad illa vixit fuit: eius spiritum examinavit direxit probavit. Demnm attrita assidnis laboribus valetudine in tiburtinnm colleginm secessit ubi in summo neglectu atque contemptu quod illi eadem s. Veronica diserte praedixerat aliquot annos commoratus, pie sancteque decessit die XXVI septembris an.

MDCCLXI. Eius corpus pingue admodum humoribusque redundans post aliquot menses integrum repertum est atque incorruptum.

XXIX.

Emmanuel Adellius Neapoli nobilibus parentibus natus admodum adolescens societatem iniit. Remisso conspicuis in re litteraria muneribus nuncio, totum se animarum saluti modis omnibus procurandae dedidit. Orationi in primis addictus in divina scientia ita profecit ut Mariam Russam eximiae sanctitatis feminam et caelestium illustrationum donis insignem, in summae perfectionis curriculo dirigere potuerit; cuius feminae prima vitae parte in lucem ab eo emissa, dum perficiendae secundae parti instaret morte praeventus obiit Neapoli, eo quem praedixerat die XXI novembris Praesentationi B. Mariae Virginis sacro quam pie vivens coluerat an. MDCCLXI.

XXX.

Ioannes Philippus Gavinus Corsus in societatem Iesu ingressus in ea innocentissime vixit. Sacrarum missionum onus supra vires ex obedientia suscepit illudque magno cum animarum fructu alacriter pertulit. Cum illum moderatores eo levare cogitarent Tusculi in ipso virilitatis flore pie sancteque decessit anno MDCCLXIX. Eius funus magna populi frequentia honestatum fuit eiusque sanctitatem Deus editis

signis comprobavit. Lux paene oculis capto eius implorata ope restituta et mulier apostemate liberata.

XXXI.


Hieronymus de Sanctis Tiburtinus societatem amplexus navus in ea operarius fuit. Externis collegii romani auditoribus ad pietatem informandis destinatus, p. Galluzii viri apostolici eodem in munere indefessam assiduitatem et contentionem prope adsecutus est. Plures sodalitates discipulorum quibus praecipua separatim a reliquis cultura adhibetur instituit quae adhuc vigent. Demum nimiis laboribus attritus ante tempus in ipso collegio exstinctus magnum sui desiderium reliquit.

XXXII.

Dionysius Franciscus Ponti origine Hispanus natus est Neapoli. Post initam societatem religiosis virtutibus maxime enituit, et qua erat humaniorum litterarum scientia praestans nobilibus seminarii neapolitani convictoribus erudiendis annos XXII operam suam praestitit. Eiectus cum reliquis sociis anno MDCCLXIX se totum perfectionis studio erudiendis rudibus sublevandis egenis invisendis aegrotis Terracinae dedidit qua in urbe gloriosus exsul occubuit.

XXXIII.

Franciscus Piccolomineus ex nobilissima familia Senis natus est. Romae ingressns in societatem doctrina et singulari sanctitate floruit. Ven. p. Antonio Baldinuccio propter idem religiosae perfectionis stndium familiarissime usus est. Hnmilitate excelluit ut propterea relicto Volnmnii nomine Franciscus voluerit appellari. Sibi austerus aliis blandns eximia caritate omnes amplexus est. Ego eius et caritatem expertus et sanctitatem admiratus, nunquam non suorum erga me meritorum non sine intimo grati animi sensn recordabor. Acerbissimis doloribus patientissime toleratis obiit rector collegii romani.



SI . QVID . OCCVRRAT . IN . MEIS . MANVSCRIPTIS
QVOD . VEL . INIVRIOSIVS . VEL . ACERBIVS . CONTRA
IVSTITIAM . VEL . CARITATEM . SCRIPTVM . SIT
ODI . ABOMINOR . DETESTOR . ET . OMNINO
DELETVM . ET . PRORSVS . INDICTVM . VOLO
NEC . NON . DELERI . A . QVOVIS . QVI . MEA . SCRIPTA
LEGAT . VETOQVE . NE . QVID . EIVSMODI . CONTRA
VOLVNTATEM . MEAM . TYPIS . MANDETVR
HAEC . GRAVI . MORBO . LABORANS
ET . PROXIME . VEL . DE . OMNI . VERBO . OTIOSO
IVDICANDVS . ADDERE . NECESSARIVM . DVXI

IMPRIMATUR

Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Fr. Ant. Ligi Bussi Archiep. Icon. Vicesgerens.







